DISPUTATIO SOLENNIS
De
DIVERSIS IMPERII TRIBUNALIBUS
Quam
Sub Præsidio Summi Numinis
Ex
SPECIALI INDULTU
MAGNIFICI DN. RECTORIS
ET
Nobilissimæ, Amplissimæ ac Consultissimæ
FACULTATIS JURIDICÆ
IN
INCLYTA UNIVERSITATE MARBURGENSI
SPECIMINIS ET CORONIDIS STUDIORUM
ACADEMICORUM LOCO
Publico Dominorum Professorum
examini

Ad diem 2. Iunii
subjicit
HECTOR SIGISMUNDUS
von Heßberg /
FRANC.

Marburgi Cattorum,
Typis JOHANNIS JODOCI KÜRSNERI, Acad. Typogr. 1687.

I. N. J.

PRÆLIMINARIA.

§. 1.

ANtequam ipsi Judiciorum tractationi me accingam, quæstio præjudicialis sese offert ventilanda: An nimirum post accuratiorem legis divinæ à Salvatore nostro factam explicationem ad Judicem provocare unquam liceat? Sed de hac re prolixius disputare ideò supervacaneum puto, quia affirmativam dudum unanimis Christiani Orbis consensus approbavit, & argumenta adversaria, quæ potissimum ex Matthæi capite quinto vers. 38. & seqq. desumi solent, à Doctoribus tam Theologis, quàm JCtis, & inter hos imprimis etiam ab Hugone Grotio L. i. c. 2. & L. II. c. 20. v. 10. seqq. de J. B. & P. satis, nî fallor, confutata sunt: quò me brevitatis gratiâ refero.

§. 2. Cum igitur de licito Judiciorum usu constet, illud potius præmittere placet; ex quonam tempore, & quas ob causas publica Justitiæ administratio introducta sit? Cum humanæ naturæ supra cæteras animantes nihil magis congruat, quàm ipsa societatis custodia, & hujus appetitus in nobis adeò excellens sit, ut facilius ferè grave

& terrestre aliquod reperias corpus ad terram non inclinans, quam hominem ab humano genere abscissum, & vagam ac segregem vitam agentem. Hinc multiplicato mortalium numero, primò quidem in distinctas familias, mox in certas civitates concesserent, ut ita mutuis juvarētur officiis, & contra subitas aliorum incursiones tutiores essent. Quanquam enim inter nos cognationem quandam constituerit natura, & ideò hominē homini insidiari nefas sit l. 3. de J. & J. ac ipsum rectæ rationis dictamen honestè vivere, alterum non lædere, & suum cuique tribuere nos doceat §. 3. J. eod. Hæc tamen sanctissimi juris præcepta in multis admodum inefficacia sunt, & vim suam exserere non possunt, nisi externas vires socias & ministras habeant. Constitutis itaque Rebuspubl. legum civilium reperta est sacra reverentia, & singulis ademtum, quod per Magistratum fiat, publicæ quietis & tranquillitatis intererat. Nimirum, ne occasio majoris tumultus præter necessitatem daretur, sancitum, ut creditores, si adversus debitores suos agant, per judicem id, quod debere sibi putant, reposcere debeant, neque propriâ auctoritate rem, suam licet, ab alio tamen possessam, capiant, uti ferè loquitur l. 7. ff. ad L. Jul. de Vi priv. Sanè inter summos Principes, & omnes illos, qui superiorem non habent, seu quorum actus alterius potestati non subsunt, in locum Judiciorum ex necessitate subintrat bellum: Quamvis & hi interdum, ut humano sanguini parcatur, malint suas quoque controversias vel per arbitros, vel per alias juris vias componere. Hinc videmus, quam soliciti semper fuerint boni Principes in constituendis Magistratibus, ordinandis Judiciis, dirigendis processibus, quibus nec ipsimet nonnunquam interesse ac præsidere dedignati sunt, ut elegans exemplum nobis exhibetur in l. penult. ff. de his quæ in

test. debent. Nimirum nihil tam regium est, quàm judicare, & sicut Imperator Justinianus in Procem. Inst. ait, *Imperatoriam Majestatem non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam, ut utrumque tempus & bellorum & pacis rectè possit gubernari, & Princeps non solum in hostilibus præliis victor existat, sed etiam per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellat.*

§. 3. Imperium nostrum Romano-Germanicum, sicut quoad reliqua, quæ ad benè cõstitutam Rempub. spectant, saluberrimis præceptis & statutis satis munitum: Ita nec hac in parte quicquam deficit, sed & leges ferendo, & Judicia ordinando, & iis Justitiæ Sacerdotes præficiendo, ut suum cuique tribuatur, providet. Ad hoc igitur me jam converto. Constitueram quidem ab initio, Dissertationem hanc in duas dispescere partes, quarum prima de Antiquis Romanorum Tribunalibus agat; sed quia postmodum in ipsa elaboratione videbam, me materiarum cumulo obrutum, legitimos Disputationis limites excessurum fore, illâ rescisâ, hanc duntaxat retinui, quam & jucundiorem, & utiliorem reor. Qui verò Antiquitatis curiosus, nec veterem Justitiæ administrandæ rationem penitus ignorare vult, is de hac re videre potest tot. tit. de Origine Juris & omnium Magistratuum cum aliquot titt. seqq. ff. & C. ibique DD. & imprimis Gerh. Feltmann. Georg. Ebelin. Rosin. de Antiquitat. Roman. l. 9.

SECTIO I. *continens Judiciorum generalia.*

TH. I.

Vocis explicatio & variæ acceptiones.

QUamvis ſatis pateat, quid per Tribunalia intelligam, ne tamen hujus rei nimis negligens & incurioſus videar, in vocis originem, & varias ejus acceptiones paulò inquirere non piget. Dicebatur autem Tribunal apud Romanos ſuggeſtus editior, unde conſpici Magiſtratus ab omnibus poterat, in quo ſella Curulis, Jurisdictionis inſigne, locata erat, ubi ſedens Prætor cognoſcebat, & pronunciabat. Erat etiam in Caſtris Tribunal, quod conſcendebat Imperator jus dicturus, aut allocuturus milites, antiquitus ex ceſpite exſtructum vid. Roſin. de Antiq. Rom. l. 9. c. 8. Tacit. I. Ann. 25. Hæc propria vocis ſignificatio poſtmodum extenſa, ut non ſolum locum, in quo jus dicitur, denotet, ſed etiam perſonas, qui id dicunt, & ipſam cauſarum judicialium tractationem, complectatur. Verba æquivalentia ſeu Synonyma ſunt, forum, Judicium, Conſilium, Dicaſterium, Jus tot. tit. de in Jus Vocan.

TH. II.

Definitio.

EST igitur Tribunal h. l. nihil aliud, quàm Collegium Judicum, coram quibus legitima cauſæ controverſæ tractatio inſtituitur, ut horum ſententiâ lis finiatur.

TH. III.

Definitionis Explicatio.

COllegium Iudicum dum dico, [1.] non hoc volo, quaſi unus ſolus non poſſit eſſe Judex. Eſt enim hæc antiquiſſima & ſimpliciſſima judicandi ratio, ad Exemplum ipſius Dei, qui unus eſt Judex totius mundi. Sic etiam legimus,

gimus, Moisem inter initia solum populo Israëlitico jus dixisse Exod. 18. vers. 13. seqq. Ac de Republ. Romana est text. in l. 2. §. 1. de Orig. Jur. & omn. Mag. *quod initio Civitatis omnia manu à Regibus gubernabantur*, h. e. Reges ipsimet, & quidem soli suo arbitrio, intellige tamen restricto ad Jus naturale, quasvis controversias deciderunt, *donec, pergit ICtus, auctâ ad aliquem modum civitate, ipsum Romulum traditur populum in triginta partes divisisse, quas partes Curias appellavit, propterea, quod tunc Reipubl. curam per sententias partium earum expediebat.* Sed ideò hoc pono, quia communiter ad benè constitutum Judicium plures personæ adhiberi solent, partim ob causarum multitudinem, ac sæpè gravitatem, partim ob ingenii humani fragilitatem & imbecillitatem, c. prudentiam 21. de Offic. jud. del. c. fin. dist. 20. & hûc pertinet tot. tit. ff. & C. de Assessorib. ac imprimis l. 13. C. d. tit. & Nov. 60. c. 2. Hinc etiam in Ord. Cam. saluberrimè sanctum, ut ad conceptionem Definitivæ cum Comite vel Barone ad minimum octo Assessores, interlocutoriæ verò sententiæ, prout illa vel majoris, vel levioris præjudicii, quatuor, quinque vel sex, ad supplicationes & taxationes expensarum denique tres vel quatuor Assessores adhibeantur d. Ord. Cam. p. 1. tit. 13 §. 10. [2] Judices competentes, & legitimâ Jurisdictione instructos intelligo. Hæc duo enim in omni Judice summè necessaria sunt l. 1. de Jud. l. 2. l. 14. de Jdict. & tot. tit. C. de Jdict. omn. Jud. & de for. comp. Quamquam enim, inspecto solo Jure naturæ, hæc potestas penes unumquemque sit, sic Plutarchus, *Virum bonum*, ait, *à natura Magistratum designari, & quidem perpetuum, nam ipsa naturæ lege ei principatum deferri, qui agat justa* vid. Grot. L. II. c. 20. §. 9. de J. B. & P. Hæc tamen nostri mores & leges non admittunt, sed certis spectatæ fidei & prudentiæ

viris hanc poteſtatem, publico nomine exercendam, conferunt.

TH. IV.

Dicitur, *legitima tractatio*, ut ſignificetur ipſa Judicii forma, quæ conſiſtit in Proceſſu, qui eſt modus legitimus in Judicio circa cauſam in id deductam à Judice & Partibus vitandæ confuſionis causâ obſervandus, c. 1. de Sent. & Re jud. in 6to. Unde Judicia diſtinguuntur in Ordinaria ſeu ſolennia c. 11. c. 19. de Probat. c. 11. de Teſtib. & Extraordinaria ſeu minus ſolennia clem. ſæpè. de V. S. Cauſæ privilegiatæ, quæ in Camera in Extraordinariis tractari debent, recenſentur viginti novem in Ord. Cam. p. 3. tit. 4.

TH. V.

Dicitur, *cauſa controverſa*. Varia quidem ſunt negotia civilia, quæ objectum Jurisprudentiæ conſtituunt, ſed potiſſimum tamen ea, ſuper quibus lis oritur, & inter aliquos contenditur. In his enim imprimis juſti ac injuſti ſcientia neceſſaria, quæ ſuum cuique tribuat l. 10. ff. de J. & J. Nec tamen ignoro, Jurisdictionem latè acceptam diſtingui in contentioſam, quæ in invitos, & contendentes, & voluntariam, quæ in volentes ad ipſorum petitionem exercetur l. 2. l. 3. ff. de Off. Pro-Conſ. Ideò etiam hîc non excludo legis actiones, ut in all. l. 3. vocantur, ſeu actus Jurisdictionis voluntariæ, qui inter duos conſentientes apud Magiſtratum vel cum, vel ſine cauſæ cognitione peraguntur, à cujus authoritate dependent, ut ſunt Adoptio, Manumiſſio, Emancipatio d. l. 2. & 3. ff. de Off. ProConſ. Donationis, Teſtamenti inſinuatio, Tutoris confirmatio Reform. Gut. Pollicey de Anno 1577. Tit. von den Pupillen 32.

TH. VI.

DEnique verbis ultimis Judiciorum finis indigitatur, qui est ipsa rei controversæ decisio, facta per sententiam definitivam, ad quam omnia juris remedia & momenta, subtilitates & solennitates tot laboribus, totque vigiliis excogitatæ respiciunt. Hoc igitur, utrâque scilicet parte in illa acquiescente, vel ulteriori provocatione deficiente, transit in rem judicatam, *quæ finem controversiarum pronunciatione Iudicis accipit, quod vel condemnatione vel absolutione contingit*, uti describitur in l. 1. ff. de Re judic. Sicut autem accidere potest, ut pars utraque non modò injustitiæ, sed & omni alio vitio careat, puta tum, quando jus & factum, unde jus oritur, incertum est, quod tamen nemo temerè indefensum relinquere cogitur. l. 40. pr. ff. de hæred. pet. Ita Judex etiam dupliciter justè pronunciasse dici potest, primò simplici & ad ipsam rem relatâ acceptione justi, deinde relatâ ad ipsius intentionem, quando nempe ex animi sententia judicavit, licet justum non pronunciavit, quia injustè agit nemo, nisi qui scit se rem injustam agere l. 79. l. 136. de R I. vid. Grot. L. II. c. 23. §. 13. de J. B. & P.

TH. VII.

DEfinitionem meritò excipit divisio: sed tam varia & diversa sunt Imperii Tribunalia, ut ferè impossibile sit, accuratam eorum divisionem tradere. Jurisdictio, omnium Judiciorum fons, & fundamentum, hodierno quidem usu triplici ferè sensu accipitur: (1.) pro ipso summo Imperio, vel specialiter iis Juribus Majestatis, quæ sunt de legibus statuendis, ac dijudicandis causis, ut & Magistratibus ordinandis, quæ summa seu suprema appellari potest add. text. 2. f. 56. (2.) pro illa, quæ per investituram, vel aliam concessionem confertur, & non administratoria, Divisio.

toria,

toria, sed perpetua, ad hæredes transitoria, & ipsi Territorio cohærens est. Et (3.) quæ confertur ipsa Magistratuum constitutione, & ratione officii competit, vid. Struv. Synt. J. C. Ex. 4. th. 79. seqq. Sed nec hæc probè hîc quadrant, aut rem omnem absolvunt, ut ex Judiciorum enumeratione & applicatione apparet. Hoc interim mihi videtur, posse Imperii Tribunalia non incongruè in Duas Classes distingui: Imperialia nimirum, & Territorialia: & illa rursus sunt vel Suprema, vel Subalterna. Suprema sunt, quorum Jurisdictio se in universos Imperii cives extendit, nullamque admittit appellationem; ut Judicium Aulicum, & Camerale. Intermedia seu subalterna sunt rursus duplicia; vel enim tantùm inter immediatè Imperio subjectos jus dicunt, ita tamen, ut appellatio locum habeat; ut Austregæ: vel etiam inter mediatè Imperio subjectos, Imperatoris quidem loco, in certo tamen tantùm districtu, ac itidem admissâ appellatione; ut Judicium Rothweilense, Provinciale Burggrav. Norimb. &c. Territorialia denique sunt, quæ Status in suis Territoriis constituta habent, eaque regulariter appellabilia, nisi privilegia, aut pacta, vel in totum, vel in tantum duntaxat obstent.

SECTIO II. *continens* *Forum Imperatoris.*

TH. I.

SUb his duabus Classibus omnia Imperii nostri Tribunalia comprehendi putem, nisi hanc regulam exceptionem pati viderem in ipso Imperatore vel Rege Romano, qui suum etiam forum, sed prorsus singulare habet: de quo antequam dicam, tractanda venit quæstio

Quæstio Præjudicialis.

quæstio præjudicialis, An Majestas soluta sit legibus? De qua breviter sic statuo: Summa Majestas in actibus Regiis soluta est legibus, non quidem naturalibus, sed civilibus, iisdemq; omnibus l. 31. de LL. quia in tales actus leges à se latæ nullam vim habent, cum se ipsâ superior esse nequeat. Actus verò ejus privati considerandi sunt ut actus partis respectu totius communionis, adeòque eô animô facti censentur, ut communem legum regulam sequantur, cum *digna vox sit Majestatis regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri* l. 4. C. de LL. & l. 23. de Legat. III. Hoc tamen ita intelligendum, ut omnis vis cogendi, punitio, & coactio absit, quia hæc distinctas personas requirunt. At aliud est de promissis & cõtractibus, quos cum Statibus Imperii iniit, & communiter leges fundamentales Regni vocantur. Inde enim vera & propria nascitur obligatio, quæ jus dat subditis. Hæc quippe est promissorum & contractuum natura, etiam inter Deum & hominem Ps. 27. v. 7. & pauca sunt Regna, quæ non legum, ac juramenti quoque religione Reges suos sibi adstrinxerint, uti praxis & exempla testantur add. Grot. L. II. c. 14. de J. B. & P.

TH. II.

IAm ad ipsum Imperatoris Imperii Romano-Germanici Capitis Augustissimi forum, de quo juxta ipsum textum A. B. art. 5. quinque fere notanda occurrunt. *Primò*, quis sit Imperatoris Judex? ℞. Comes Palatinus Rheni S. Imperii Archidapifer, Elector Princeps, & quidem solus, excluso Duce Saxoniæ, licet dissentiat Bodinus; quia textus sat clarus & perspicuus est. *Secundò*, quô respectu sit Imperatoris Judex? ℞. Tanquam Imperatoris seu Regis Romanorum, non tanquam Principis seu membri Imperii per d. text. A. B. hoc enim intuitu Judicium Came- Explicatio ipsius textus A. B.

 ræ

ræ cum cæteris Statibus habet commune, uti multa præjudicia allegat Reink. de Reg Secul & Eccleſ. L. 1. claſ. 4. c. 5. n. 3. Nec obſt. (1) quòd ſumma Majeſtas alium Judicem non habeat, quam ſe ipſum. Hoc enim tamdiu verum eſt, quàm diu non reperitur contraria voluntas. [2.] quòd ſit contra dignitatem Imperatoriam. Ipſe enim Cæſar, depoſitâ quodammodo Majeſtate, in ſua cauſa Electorem Palatinum judicare jubet. Et ſic etiam Jure Civili receptum, ut ſi quis major vel æqualis ſubjiciat ſe Jurisdictioni alterius, poſſit ei & adverſus eum jus dici l. 14. ff. de Jdict. Pariter in Jure feudali, ſi inter Dominum & Vaſallum de beneficio fuerit controverſia, coram Paribus finitur 2, f. 39. denique adducunt DD. varia aliorum Regnorum exempla. Illud hîc addendum, quòd Imperaror alios viciſſim coram Palatino convenire non poſſit per d. tex. A.B. ibi: *reſpondere*: *Tertiò*, in quibusnam cauſis? Ubi textus quidem eſt generalis, & ita habet: *Super cauſis, pro quibus fuerit impetitus*. Sed Interpretes valdè inter ſe diſſentiunt vid. Limnæ: Tom. I. Jur. Publ. L. III. c. 9. n. 23 ſeqq: D. Mich. Schiferer de Orig: & Poteſt. Elect. th. 66. D. Schütz de Stat. R. R. Vol. I. Ex. 7. th. 21. Reink. de Reg. Secul. & Eccleſ. L. 1. claſ. 4. c. 5. Wehn. Obſ. Pract. Voc. Außträge. D. Lampadius de Repub. R. G. P. 3. c. 16. §. 16. ſeqq. hanc rem ita explicat: Quod Imperator Palatini judicium ſubeat, non ratione poteſtatis imperandi. Poteſtas enim imperandi, ſeu jurisdictio, quæ ſolius Cæſaris eſt propria, nullius Jurisdictioni poterit ſubeſſe, quia in poteſtate juris reddendi non habet ſuperiorem Cæſar, niſi Deum: neq; etiam ratione rerū fiſcalium, quia Cameræ in iis eſt Jurisdictio ad implorationem Cæſarei Fiſcalis inibi conſtituti Ord. Cam. P. 1. tit. 16. ſed ratione contractuum à Cæſare, ut Cæſare, initorum arg. d. text. A. B. quæ

expli-

explicatio sat commoda videtur. Haud dubiè verò excipiendus est casus, quando Palatinus ipse Imperatorem velit convenire. Satis enim absurdum foret, cum Palatini Judicium ideò non dedignetur Augusta Majestas, ne justitia, saltem ex opinione, vitium capiat, & in propria causa Judex sit, id tamen in Palatino susque deque habere vid. Schütz all. loc. *Quartò*, ubi hoc judicium exercendum sit? Verba textus ita sonant: *Illud tamen Iudicium Comes ipse Palatinus non alibi, præterquam in Imperiali Curia, ubi Imperator seu Romanorum Rex præsens extiterit, poterit exercere.* In germanica versione additur Verbum **Oder wo der Käyser gegenwärtig ist /** quam tamen diversitatem non agnoscit Schütz d. l. Cum igitur Curiæ significatus varius sit, per Curiam quid hîc intelligatur non satis liquet. Limnæ: quidem Comitia hoc locô indigitari asserit, quia Curia pro Comitiis in A. B. passim sumatur, ut prolixè disputat cit. loc. n. 68. seqq. Sed textum ipsum inspiciens, simplicissimam ejus explicationem secutus, per Curiam hîc non solum Comitia, sed etiam Aulam Imperatoris, ubicunque illa sit, intelligi putem, add. Wehn. Obs. Pract. voc. Hoff. præsertim, quia & hic significatus in A. B. non infrequens est: Et facit ratio, quòd Comitia non semper habeantur, nec ideò instituantur vid. Schütz cit. loc. lit. G. ibique Annot. Accedit, quòd in Jure quoque feudali, vox Curiæ seu Curtis pro Aula seu Residentia sumatur 1. f. 2. §. 1. 1. f. 5. §. 1. Denique *quintò*, quando, & à quo hoc jus Palatinis tributum sit? Variæ variorum sunt conjecturæ & opiniones. Alii ajunt, communi Principum voluntate & consensu hoc munus Rudolpho Comiti Palatino primùm collatum fuisse circa annum Christi 1250. Alii à veteri Palatina Comitiva id derivant: Alii ex antiqua apud Germanos usitata Judicum institutione rem

repetunt, & dicunt, quòd, sicut Judicum seu Comitum, Graffen/ multi in toto Regno fuerint instituti, quorum alii limitibus, qui Marggraffen / alii interioribus districtibus, qui Landgraffen / alii Castro præpositi erant, qui Burggraffen/dicebantur, horum tamen omnium supremus fuerit Comes Palatinus, qui in ipsa Regis Curia jus dicebat, & propter hujus excellentem Jurisdictionem ipsi Reges suarum causarum cognitionem ei submiserint: alii aliunde. Sed de his conjecturis quicquid sit, malo cum ipso Carolo IV. in verbis: *Sicut ex consuetudine introductum dicitur*: totam hanc rem consuetudini attribuere, quàm in tanta incertitudine nimis scrupulosus esse, ubi nec ipse Legislator fuit, add. Limn. Tom. I. de Jur. Publ. L. 3. c. 9. n. 24. seqq.

TH. III.

De Rege Romanorum.

HActenus de Imperatore. De Rege autem Romanorum quæritur, An idem forum sortiatur? Regem hic intelligo, qui vivente Imperatore ab Electoribus pro Imperii utilitate, vel necessitate, cum, vel sine consensu Imperatoris, eligitur, ut sit perpetuus Imperii Vicarius, & absente, aut impedito Imperatore, Imperium regat ac moderetur, eôque mortuô, sine ulteriori electione Imperatori succedat, vid. Capit. Leop. §. 36. Limn. Tom. I. de J. P. L. 2. c. 15. n. 8. De hac Regis Romanorum potestate quærunt DD; utrum propria, an verò ab Imperatore delegata sit? Pro utraque sententia firmanda, multa & varia ex Recessibus Imperii adducunt, quæ ut concilientur, distinguendum est: Aut enim eam exercet absente vel impedito Imperatore, aut ex mandato Imperatoris, priori casu, utique & proprio & Imperatoris nomine, Ord. Cam. P. 1. tit. 1. §. nemlich wollen. R. I. Anno 1542. §. und damit / & anno 1555. §. und im Fall. 66. ibi, an Statt Käyserl.

Majest. oder unser / als der Häupter. posteriori verò, magis Imperatoris nomine eam exercet vid. Reink. de R. S. & P. L. 1. class. 3 c. 14. n. 46 seqq. legi etiam merentur, quæ de Rege Romano habentur apud Sleid. de Stat. Relig. L. 8. ad Ann. 1532. Quæstionem verò nostræ materiæ quod attinet, illa utique affirmanda est per A. B. Art. 5. ibi: *Imperator sive Rex Romanorum.* De Augusta vix idem dicendum erit arg. l. ult. C. de quad. præsc. nec officit. l. 65. ff. de Jud. vid. Schütz vol. 1. Ex. 7. th. 21. lit. D. quem novissimè sequitur Fritsch. Tract. de Augusta c. 8, n. 22. De Augusta.

SECTIO III. *continens Tribunal seu Judicium Aulicum.*

TH. I.

INter Suprema Imperii Tribunalia meritò primum locum sibi vendicat Judicium Aulicum, uti appellatur in Instr. Pac. Art. 5. §. 20. vers. quoad processum; aliàs etiam Aula Cæsarea Capit. Leop. Art. 18 ibi: entweder ad Aulam Cæsaream; germanico idiomate Reichs Hoff-Rath d. Art. & v. vel etiam Käyserlicher Reichs Hoff-Rath vid. R. H. Ord. pr. Qui hujus Tribunalis originem ab ipsis Romani Imperii initiis deducunt, hûc trahunt textus ex Jure Civili l. 30. ff. de Excus. Tut. l. ult. C. de off. div. Judic. & l. 8. C. de LL. in quibus Consilii Principis, & Sacri Consistorii mentio fit vid. D. Er. Maurit. Disp. de hoc. Judic. th. 5. Et certè ipse Imperator Ferdinandus III. in præfat. der Reichs Hoffgerichts Ord. de hoc Judicio ait: daß solches zu Beförderung und Vollziehung der werthen Gerechtigkeit und Regiments im Römischen Reich vor unvordencklichen Origo & Variæ Ordinationes.

Jahren auffgerichtet. Quod elogium mihi instar omnium est, adeòque sine ulteriori inquisitione eidem acquiesco. Auctum verò posteà, & variis Ordinationibus instructum est, donec hanc, quam nunc habet, faciem induerit. Tres quippe ejus Ordinationes hactenus prodiêre, Speidelius quidem voc. Reichs HoffRath quartæ à Maximiliano II. factæ meminit, sed hæc vix visibilis erit. Prima est Ferdinandi I promulgata 3. Apr. Anno 1559. Augustæ Vindelicorum, extat apud Lehmann in Act. publ. de Pac. Relig L. 1. c. 37. hujus usus usque ad annum 1654. duravit, uti colligitur ex Declaratione Cæsarea, Electoribus Ann. 1637. exhibita circa fin. quam habet Limn. Tom. IV. J. P. in Addit. ad L. 9. c. 4. vid. idem Tom. V. Addit. ad L. 9. c. 4. ubi in Ord. ult. pr. Imp. Ferdinandus III. hujus solius ordinationis meminit d. pr. circ. fin. add. D. Maurit. d. l. th. 19. Secunda est Matthiæ Imperatoris, communicata Statibus mens. Aug. Ann. 1614. & anno sequente in Conventu Norimberg. revisa, & non nulla ad marginem adjecta, quam exhibet Limn. Tom. III. J. P. L. 9. c. 4. n. 34. Tertia denique durantibus Comitiis Ratisbonensibus Ann. 1654. jussu Imperatoris Ferdinandi III. conscripta, nec tamen ab omnibus Statibus approbata fuit, quia Statibus non ritè erat communicata, nec ipsorum Monita desuper requisita vid Capit. Ferd. III. Art 44. & ideò ejus dictatio, & solennis tractatio ad Comitia proxima reservabatur vid. Limn. Tom. V. J. P. in Addit. ad L 9. c. 4. in fin. Quoniam tamen Invictissimum nostrum Imperatorem Leopoldum Electores ad ejus observationem adstrinxerunt, donec aliter conveniretur, sanè hactenus approbata, & confirmata censeri debet, vid. Capit. Leop. Art. 41. Extat autem dict. ord. ult. Ferdinandi III. apud Limn. Tom. V. J. P. in Addit. ad L. 9. c. 4.

TH.

TH. II.

SUpremum hujus Tribunalis Caput & Judex est ipse Imperator R. H. O. tit. 1. verb. dessen oberstes Haupt und Richter Wir allein/und ein jeder Römischer Käyser selbst ist: ab eoque solo id dependet vid. all. Declaratio Cæsar: apud Limn. d. l. circ. fin. ibi: Weilen der Reichs Hoff-Rath von Ihrer Käyserlichen Majest. allein dependiret/und unterhalten wird/ neque illud, ut aliqui volunt vid. Wehn. Obs. Pract. voc. Hoff/ Moguntino Electori, tanquam ArchiCancellario, juramento adstringitur vid. Scharschm. Addit. in Schütz vol. II. Ex. 2. th. 5 lit. A B. Vol. 1 Ex. 7. th. 13. lit. B. C. Præses plerumque Princeps vel Comes esse solet: de Ejus officio vid. R. H. O. tit. 1. cui adjungitur Vice-Præses. Si propter legitima impedimenta neuter horum adsit, Senior inter Assessores ex Ordine Equestri dirigit, & loco Præsidis munera expedit R. H. O. tit. 1. §. da aber solcher. Assessorum numerus, sicut diu prorsus incertus & indefinitus fuit, ita tandem Ann. 1637. ad instantiam Statuum ad XIV. restrictus, uti in sæpe cit. Declar. Cæsar: verba sunt: Da erklären sich allerhöchst-gedacht Käyserliche Majestät dahin/ daß sie neben den Präsidenten noch vierzehen andere Personen aller Teutscher Nation ins künfftig zu Reichs Hoff-Räthen annehmen wollen. Qui numerus tamen posteà per Ordinat. Ferdinandi III. tit. 1. ad XVII. mox ad XX. Assessores auctus est, ut testatur D. Maurit. d. l. th. 8. Dividuntur in illos, qui sunt Equestris Ordinis, & Literatos, in die Ritter- und der Gelehrten Banck. Illi, ad minimum dimidiam partem constituunt, plerumque superant: ubi quod ad ipsorum Præcedentiam inter se in Capitul. Leopold. Art. 40. notabile est, quòd Impe-

Hujus Tribunalis Personæ.

Imperator promittit, ſe ordinaturum, daß in Unſern Reichs-Hoff-Kriegs-und andern Räthen auff den Ritterbäncken zwiſchen denen von Ritter-Stand / welche zu Schild und Helm/Ritter-und Stifftmäſſig geboren/ und denen Graffen und Herren / ſo in den Reichs-Collegiis keine Seſſion oder Stimm haben/oder von ſolchen Häußern entſproſſen und gebohren ſind / in der Raths-Seſſion, dem alten Herkommen gemäß/kein Unterſcheid gehalten/ ſondern ein jeder nach Ordnung der angetrettenen Raths Dienſten / ohne einigen von Stands wegen unter ſelbigen ſuchenden Vorzug / verbleibe. His verò nimirum Literatis ad hoc munus evectis Patriciatus dignitatem adſcribit Schütz Vol. II. Ex. 2. th. 5. lit. H. De utrorumque denique præcedentia quoad alios Imperatoris Conſiliarios eſt text. in R. H. O. ult. tit. 1. verb. ſo iſt auch Unſer allergnädigſter Befehl/ Will und Meinung/ daß Unſere Reichs Hoff-Räthe / ſampt oder ſonders / allen Räthen von andern Unſern Mitteln (auſſerhalb geheimden Raths) in gleichem Stand vorgehen / und vor denſelben die præcedenz oder Oberſtelle haben ſollen. Erant olim omnes Aſſeſſores Pontificiæ Religionis, donec ad inſtantiam Statuum Auguſtanæ Confeſſioni addictorum in Inſtr. Pac. Cæſar. Suec. Art. 5. §. 20. conventum fuerit, *aliquos Augustanæ Confeſſionis doctos & rerum Imperii peritos viros ex iis Imperii Circulis, ubi vel ſola Auguſtana Confeſſio, vel ſimul cum Catholica religione viget, adſciſcendos, eô quidem numerô, ut, eveniente caſu, paritas judicantium ex utraque religione Aſſeſſorum obſervari poſſit*, quod in Ord. ult. Ferd. III. tit. 1. repetitur, & ad ſex Aſſeſſores determinatur verb Sechs von Herren-Ritter-und Gelehrten Stands der Augſpurgiſchen Confeſſion Verwandte etc. Non ſunt igitur numero omninò pares, ſi tamen

tamen inter diversæ religionis Status lis agitetur, selecti æquali numero utriusque religionis Consiliarii causam examinant, & definiunt. Quod utrum rectè observetur, & Augustanæ Confessioni addictis satis cautum sit? meritò dubites: vid. Schreiben an die Römische Käyserl. Maj. von gesamten Evangelischen Chur-Fürsten und Ständen zu gegenwärtigem Reichs-Tag gevollmächtigten Räthen/Bottschafften und Gesandten/die Bestellung des Käyserl. Reichs Hoff-Raths circa paritatem Religionis betreffend; cui etiam à Cæsarea Majestate favorabiliter responsum vid. Schütz Vol. II. Ex. 2. Addit. ad th. 5. lit. A. B.

TH. III.

Causæ ad hoc Tribunal pertinentes.

DE Causis, quæ ad hoc Tribunal pertinent, textus est expressus in R. H. O. tit. 2. pr. In Unsern Reichs Hoff-Rath sollen alle und jede Sachen/das H. Römische Reich/desselben Hoheit/und Recht/ Herrlichkeit / Gerechtigkeiten / Pfandschafft / Lösung / Regalien / Hohe und Niedere Lehen / Privilegien / Indult, Confirmation und anders / wie solches Namen haben mag / insonderheit alle und jede Partey Sachen etc. außgefertiget werden. Hinc quærunt DD. An omnes illæ causæ, de quibus Camera Imperialis jus dicit, in hoc etiam Judicio deduci possint, ita ut ab initio in potestate sit agere volentium, actionem hîc vel illic intentare, adeòque præventioni locus sit? seu, ut breviùs dicam, An Judicium Aulicum cum Camera concurrentem Jurisdictionem habeat? Tractat hanc quæstionem per aliquot paginas Limn. Tom. III. J.P.L. 9. c. 4. & in utriusque sententiæ fundamenta inquirit, magnumque Doctorum numerum pro utraque allegat, ac tandem decisionem, quam tamen facilem esse putat, argumenta exactè ponderanti relinquit. Sed quia

hac

hac de re multi textus, & inter hos imprimis evidens est in R. H. O. tit. 2. ibi: So wollen Wir auch / daß Unser Reichs Hoff Rath sonsten und in denen Fällen / darinnen Wir und Unsere Vorfahren am Reich Unserm Cammer-Gericht *concurrentem Jurisdictionem* zu mehrerer Beförderung der Parteyen / und Unserer Ubertragung mitgetheilt / demselben seinen starcken Lauff lassen / und per avocationem causarum nicht verhindern / wenn nemlich solche Sachen allbereits daselbst durch außgewürckte / und insinuirte citation anhängig gemacht worden etc. add. Capit. Leop. Art. 42. Res fortè ita componenda & temperanda erit, ut dicamus, Judicium Aulicum concurrere in omnibus causis cum Camera, vice versâ verò, Cameram non in omnibus, sed tantùm in aliquibus cum Judicio Aulico concurrere, adeò ut hæ enunciationes reciprocæ quidem non sint, ita tamen conceptæ ambæ omninò veræ. Nimirum quædam causæ ita ad Judicium Aulicum pertinent, ut Cameræ nulla in illis sit Jurisdictio, adeòque nullus in his detur concursus, quales sunt, causæ feudales de Regalibus feudis, Ord. Cam. P. 2. tit. 7. Privilegiorum confirmationes, deque eorum validitate & invaliditate exortæ quæstiones. Ejus enim est interpretari, cujus est condere l. 43. de Vulg. & pup. Subst. l. 1. 2. & fin. C. de LL. c. 12. de Judic. quamvis de causis Privilegiorum, cum de substantia non dubitatur, sicut quivis ordinarius Judex, ita etiam Camera cognoscere possit vid. Gail. 1. Obs. 1. n. 7. & 13. Philipp. L. 1. Ecl. 21. Item legitimatio naturalium l. 1. l. 3. ff. de Nat. Rest. Famæ restitutio, quia est de Reservatis Imperatoris: nec obst. R. A. zu Speyer Anno 1526. §. und wiewohl 6. Veniæ ætatis concessio, & id genus alia vid. D. Thom. Michaël. de S.

Cæl.

Cæſ. M. Cam, & Stat. Jurisd. th. 31. & 32. In quibus igitur cauſis hæc Judicia concurrunt, præventio locum habet, ita ut coram eo cauſa peragenda, coram quo lis cœpta, quæ litis pendentia per ipſam citationem inducitur vid. 𝔛. 𝔋. 𝔒. tit. 2. & Capit. Leop. Art. 42. Struv. Ex. 46. th. 5. nec Imperator hoc impedire poteſt dd. texx.

TH. IV.

CÆterum cauſæ in genere ad hoc Tribunal pertinentes ſunt vel civiles, eæque potiſſimùm, vel feudales, quarum eæ, quæ Regalia feuda concernunt, privativè hûc ſpectant, adeò ut nec tempore Interregni Vicarii de iis cognoſcere queant vid. A. B. Art. 5. Ord. Cam. P. II. tit. 7. ubi tamen quæritur (1) An Pares Curiæ adhiberi debeant? & (2) An d. text. non ſolum ad petitorium, ſed etiam ad poſſeſſorium extendendus ſit? De utraque quæſtione vide prolixè Diſputantem Limn. Tom. III. J. P. L. 2. c. 9. n. 32. ſeqq. Hein. Ham. Tr. de Jur. Imp. Germ. contr. ſent. 23. & 24. Reink. de Reg. Sec. & Ecc. L. I. claſ. 4. c. 19. Heinr. Staml. Tr. de Reſerv. Imp. §. 39. Struv. Synt. J. F. c. ult. aph. 5. n. 2. ibique all. AA. Vel primæ inſtantiæ, vel appellationum. In his Summa appellabilis eſt 400. Imperialium Receſſ. Imp. Anno 1654. §. Viertens ſolle 112. vel ſpirituales & matrimoniales, quæ directè hûc non pertinent, quia requirunt Judicem Eccleſiaſticum c. 2. & 3. de Judic. Reink. de Reg. Sec. & Ecc. L. III. claſ. 1. c. 10. n. 22. vel denique criminales, de quibus quidem quoad mediatè Imperio ſubjectos notum eſt, quòd nec per viam ſimplicis querelæ, nec appellationis directè ad ſumma Judicia devolvantur vid. Ord. Cam. P. II. tit. 28. § 5. Gail. I. obſ. 1. n. 27, quod Status Imperii verò & immediatos attinet vid. Knipſch. de Jur. & Priv. Civit. Imper. L. II. c. 33. n. 23. D. Myler, de Princip. & Stat. Imp. c. 20. n. 22. ſeqq. D.

Ulterior Cauſarum Diſtinctio.

Maurit. d. diss. th. 16. Notabile quid hic occurrit ex veteri Republica Romana, quòd Consules, penes quos tamen, exactis Regibus, summum in civitate jus erat, in caput civis Romani injussu populi animadvertere non potuerint l. 2. §. 16. de Orig. Jur. De his verò omnibus infra sub Tribunali Cameræ & Austregarum ulterior disserendi locus dabitur. Sect. IV. th. 6. & Sect. V. th. 4. Restant causæ ad Pacem Religiosam spectantes, de quibus vid. Instr. Pac. Art. V. §. 20. v. 53. & 55. ibi: aut dijudicandis causis Ecclesiasticis vel Politicis inter Catholicæ & Augustanæ Confessionis Status &c. add. R. H. O. Ferdinandi III. tit. 1. ibi: thun auch hiermit befehlen.

TH. V.

Processus Judiciarius. Processum Judiciarium quod concernit, Ordinatio Cameræ Imperialis etiam in Judicio Aulico observari debet per omnia Instr. Pac. Art. V. §. 20. v. quoad processum 54. celerior tamen nonnihil & expeditior est, quia solennia ad ipsam Processus substantiam inutilia plerumque rescindi solent, uti ex Ordinatione ipsa certiores reddimur, ubi hæc verba reperiuntur: Darauff dann Unsere Reichs Hoff Räthe ein sonderliches Auffmercken haben/ und so viel möglich Unsers Käyserlichen Cammer-Gerichts Ordnungen/und in allen Sachen gewöhnlichen Proceß/Termin/und Solennitäten gebrauchen / insonderheit aber in allen Processen keine substantialia außlassen/jedoch auch allen überfluß und Verzüglichkeiten abschneiden / die gegebene Termin ohne erhebliche Ursachen nicht erstrecken/und in allen / so viel die Substantz eines gerichtlichen Proceß anlangt / sonderlich da ein unwiederbringliches Präjuditz zu befahren/von der Ordnung / wie sie im Käyserlichen Cammer-Gericht eingeführt/und verbessert werden möchte / in substan-

ſtantialibus requiſitis proceſſus nicht abweichen ſollen; hingegen wollen Wir ſie an andere unnöhtige Gerichts ſolennia, dadurch dem Hauptwerck/und genugſammer Erkündigung der Warheit nichts zu oder abgehet / keines wegs verbunden / ſondern vielmehr auff den gemeinen Nutzen / und Beförderung der heilſamen Juſtitz gewieſen und verpflicht haben vid. R. H. O. tit. 2.

TH. VI.

SIcut olim hujus Tribunalis locus incertus, & cum Aula Cæſarea ambulatorius erat; ita eam etiamnum ſequitur vid. R. H. O. tit. 1. § auch alle etc. Speid. voc. Reichs Hoff Rath. Cum ergò Imperator hodiè Viennæ reſideat, hoc Judicium etiam meritò ibidem exercetur. Sanè novimus, durante nuperrimâ Viennæ obſeſſione, cum propter præſentiſſimum periculum Imperator, primùm Lincium, deinde Patavium ſecederet, illud etiam ipſum ſecutum eſſe. Unde in citationibus, quibus partes eò vocantur, inſerta leguntur hæc: an Unſern Käyſerlichen Hoff/ was Enden derſelbe alsdann ſeyn wird. Si Imperator fatis concedat, Cameræ quidem Imperialis Judicium nihilominus proceſſus decernit, ac audientias celebrat: Proceſſus tamen illi non obſignantur, nec expediuntur, ſed ad Cancellariam Moguntinam mittuntur, ubi tamdiu aſſervantur, donec Sigillum Dnn. Vicariorum, quorum nomine expediuntur, transmittatur vid. Roding. Pand. Cam. L. 1. tit 3. §. 3. At in hoc Judicio, defuncto Cæſare, acta ſtatim omnia obſignantur; interea Vicariorum quilibet in locis ſubjectis Judicium peculiare erigit, eorumque Judiciorum acta, electo novo Imperatore, transmittuntur vid. D. Maurit. d. l. th. 27. Locus.

TH. VII.

Visitatio.

VIsitatio hujus Judicii fit per Electorem Moguntinum toties, quoties opus fuerit vid. Instr. Pac. Art. V. §. 20. v. 55. ubi tamen quæ circa eam observanda sint, in proxima Comitia rejiciuntur expedienda add. Capit. Leop. Art. 42. Dependet etiam ab Electore Moguntino tanquam Archi-Cancellario per Germaniam totius Cancellariæ Constitutio & Ordinatio, nec Imperator ipsi in hac præjudicabit vid. d. Capit. Leop. Art. 40.

TH. VIII.

Supplicatio à sententia in hoc Tribunali lata.

DEnique latam sententiam sequuntur nonnunquam Remedia suspensiva; quibus ne litigantes prorsus destituantur, loco Revisionis in Camera usitatæ licitum est parti gravatæ, à sententia in Judicio Aulico lata ad Cæsaream Majestatem supplicare, ut acta judicialia denuò, adhibitis aliis gravitati negotii paribus, neutrique partium addictis, ex utraque religione æquali numero, Consiliariis, & qui concipiendæ & ferendæ priori sententiæ non interfuerint, aut certè Referentium aut Correferentium partes non sustinuerint, revideantur; liberumque est suæ Majestati in causis majoribus, & unde tumultus in Imperio timeri possent, insuper etiam quorundam utriusque religionis Electorum & Principum sententias & Vota requirere vid. Instr. Pac. Art. V. § 20. quoad processum 54. quod confirmatur etiam in Capit. Leop. Art. 42. Et quamquam in utroque loco revisionis tantum mentio fiat, Syndicatus tamen non excluditur, tùm quod is in Camera locum habeat, cum qua in dubio hoc judicium comparatur, tùm quòd in ipsa Ordinatione tit. 6. ibi: Dafern sich nun ein oder ander Theil durch die am Kähserlichen Hoffe gefällte Urtheil gravirt zu seyn vermeinet / und dahero entweder per viam nullitatis, Syndicatus, restitutionis in

inte-

integrum &c. ac præterea in Extractu Protoc. Ratisbon. d. 26. Aug. Ann. 1665. recensetur vid. Schütz Vol. II. Ex. 2. th. 5. Addit. lit. A, B. Notandum denique est, quòd hoc Judicium causas, antequam definiantur, & executioni dentur, cum Cæsare ejusque Secretiori Concilio communicare soleat, ut prius ad rationem Status examinentur. Quod interdum propter metum armorum aliasque circumstantias necessarium, vel saltem salutare esse potest, Status tamen id vix approbant vid. Capit. Leop. Art. 42. Schütz Addit. d. l.

SECTIO IV. *continens*

Tribunal seu Judicium Cameræ Imperialis.

TH. I.

SEcundum primi Ordinis in Imperio Tribunal est Camera Imperialis, das Käyserliche und des Reichs Cammer-Gericht / ab Imperatore & Statibus saluberrimè institutum. Cum enim olim litigantes Cæsarem ejusque Curiam magnis sumtibus sequi tenerentur, Imperatorque hujusmodi controversiis privatorum decidendis implicitus, publicis Imperii Curis minus incumbere posset, è re totius Imperii fore existimatum est, Imperiale Prætorium instituere, in quo de causis litigantium cognosceretur vid. D. Michaël. de SS. Cæs. Maj. Cam. & Stat. Jdict. concl. 33. Hoc autem Judicium Ann. 1495. ultimo Octob. in publico Wormatiæ indicto Conventu, à Maximiliano I. tum temporis Rege Romanorum cum Statuum consensu constitutum, & eodem anno Præsente Imperatore Francofurti introductum, ac 3. Nov. prima

Origo & Variæ Ordinationes.

Judi-

Judicialis Audientia celebrata fuit vid. Limn. Tom. III. J. P. L. 9. c. 2. n4. 5. Prima Ordinatio & leges ipsi in dicto Conventu præscriptæ, quæ deinceps in variis Comitiis aut interpretatione extensæ, aut aliis super additis auctæ, aut renovatæ, aut ex parte revocatæ fuerunt, vid. Cammer-Gerichts Ordnung zu Augspurg Ann. 1500. zu Constantz A. 1507. zu Regenspurg A. eôdem, zu Worms A. 1517. zu Worms A. 1521. zu Nürnberg A. 1523. zu Speyer A. 1531. zu Speyer A. 1533. zu Worms A. 1538. donec in Comitiis A. 1555. Augustæ Vindelicorum celebratis prodierit perfecta illa, ac in tres partes divisa Ordinatio, quæ etiamnum observatur, nisi quòd & hæc in aliquibus per Recess. A. 1570. A. 1594. ac denique novissimum A. 1654. nonnihil correcta est. Vidimus quidem aliam adhuc Conceptionem Ordinationis Cameræ, Concept der Cammer Gerichts Ordnung / ab ipsa Camera jussu Imperatoris & Statuum Ann. 1613. adornatam: verùm hæc nondum publici juris facta, sed ejus confirmatio & revisio in præsentia Comitia reservata est vid. Recess. Imp. N. An. 1654. §. das begriffene 134.

TH. II.

Hujus Tribunalis Personæ.

PErsonæ hujus Judicii sunt [1] Judex Cameræ, der Cammer Richter / qui ab Imperatore, vel in Ejus absentia Rege Romanorum constituitur. Notanda autem veniunt ejus requisita & qualitates, nimirum sit Germanus, juris & rerum Imperii peritus, Princeps Secularis vel Ecclesiasticus, ille tamen præferendus, vel ad minimum Comes aut Baro, non hæreticus, sed vel Catholicæ, vel Augustanæ Confessionis religioni addictus vid. Ord. Cam. P. 1. tit. 1 §. 1. & tit. 3. §. 1. & ult. Ejus officium tùm in genere, tùm in Senatu, tùm etiam in Audientiis judicialibus latè & perspicuè describitur in Ord. Cam. P. 1. tit. 9. 10. & 11. &, ut

verbô

verbô dicam, in eo consistit, ut, sicut Caput est Judicii, cui tam Assessores, quàm reliquæ Judicii personæ honorem, æstimationem, ac in omnibus negotiis obsequium cum debita reverentia exhibere ac præstare tenentur: ita sedulò curet, ut omnia tam quoad processum, quàm reliqua, ad præscriptas leges & Ordinationem fiant ac dirigantur. Salarium pro personæ qualitate variat: Si Comes vel Baro fuerit, duo millia florenorum sufficiunt, si Princeps, non æquè vid. Ord. Cam. P. 1. tit. 43. quod tamen postmodum ad summam 4400. Imperialium auctum est vid. Recess. Imp. Ann. 1654. §. Dieweil auch 11. Post Judicem (2.) Præsides Comites vel Barones, qui etiam in ejus absentia aut legitimis impedimentis Judicis vices gerunt. Juxta Ordinationem quidem Cameræ duo, juxta Instrumentum Pacis verò quatuor, quorum duo Augustanæ Confessioni addicti, à sola tamen Cæsarea Majestate constituendi vid. Instr. Pac. Art. V. §. 20. Qui numerus quaternarius tamen haud dubiè respicit quinquaginta Assessores, qui ibidem requiruntur, adeò, ut donec hi deficiunt, nec ille præcisè complendus sit. Videmus certè hodiè in tam parvo Assessorum numero duos tantùm Præsides, utriusque tamen religionis, adesse. Salarium hodiè est 1371. Imperialium vid. R. I. Ann. 1654. §. Dieweil auch 11. (3.) Assessores, Beysitzer oder Urtheiler/qui pro dimidia parte ex Equestri, ac pro altera parte ex Literatorum Ordine esse debent Ord. Cam. P. 1. tit. 1. Primò tantùm sedecim erant vid. Cam. Ord. zu Worms A. 1495. tit. 1. qui numerus diversis vicibus auctus, tandem in Instr. Pac. d. l. ad L. excrevit, & ita confirmatus est in R. I. Ann 1654. §. den numerum 29. qui tamen hactenus nunquam completus extitit, ut jam dictum, de qua re multæ sunt multorum, imo ipsius Cameræ, querelæ vid. des Cammer-Gerichts

richts zu Speyer Memorial an den Reichs-Convent zu Regenspurg die Ersetzung der noch vacirenden Cameral Stellen / wie auch den bedürfftigen Unterhalt betreffend; datum Speyer den 26. Apr. 6. Maj. Anno 1673. quod exhibetur in Schütz Vol. II. Ex. 2. Addit. ad th. 7. lit. C. Causa hujus rei ponitur in sumtibus & Collectis ad sustentationem necessariis, cui, ut remediretur, in R. I. noviss. 1654. §. und zwar 9. & seqq. satis provisum est, quomodo antiquus contribuendi modus pro cujusque Status contingenti juxta veteris Cameræ Matriculæ proportionem adaugendus, & contra morosos executio instituenda sit, add. Project der erhöheten Cammer Matricul apud Schütz Vol. II. Ex. 2. Addit. ad th. 7. lit. C. Quid verò obstet, quò minus id fiat, præsertim, cum omnium Curialium Spirensium Salaria, juxta dict. Recess. constitutionem & augmentum calculata, collectim non excedant Summam 62925. Imperialium, quæ inter tot Imperii Circulos distributa, sanè neminem supra modum gravaret, ac insuper piæ hujus causæ, & rei in Imperio non minus salutaris, quàm necessariæ favor apud omnes multum valere deberet, meum non est judicare vel inquirere, potest tamen, si libet, videri Author quidam anonymus Memorabili secundo de Justitia Imperiali c. 2. Cæterùm Assessorum qualitates describuntur in Ord. Cam. P. 1. tit. 3. & Recess. Imp. Ann. 1654. §. Sintemahl aber 28. ubi additur, daß nicht so starck auff das studium quinquennale auff Teutschen Universitäten / sondern auff die qualitäten / Geschicklichkeit und Experienz gesehen werden solle. Officium in Ord. Cam. d. P. tit. 13. & 14. ex quo textu d. tit. 13. ad illam quæstionem, utrum secundum leges, an verò præter leges, secundùm aliquam æquitatis rationem in ipsis legibus non fundatam, judicandum sit? notanda sunt

verba

verba sequentia: Die Beysitzer sollen in kein Sach / sie sey so gering als sie immer wolle / allein auff ihr Gutbeduncken / oder eines jeden erwogen Billigkeit / oder eigen fürgenommen / und nicht dem Rechten gemäß / informirten Gewissen / sondern auff des Reichs gemeine Recht / Abschied / und auffgerichteten Frieden / und erbare Ländische Ordnungen etc. nach vermög und außweisung ihres Eydes Urtheil fassen und außsprechen / conf. l 12. pr. qui & à quib. manumiss. 1. Petr. 2. v. 18. junct. Act. 4. v. 19. & c. 5. v. 29. Præsentatio Ord. Cam. d. P. 1. t. 1. 2. & 4. Recess. I. Ann. 1654. §. die Ersetz- und Bestellung 22. seqq. Schema verò præsentationũ in d. Comitiis nondum conventum, sed reservatum fuit d. R. I. §. notandum 30. Quod ad paritatem religionis in Instr. Pacis Art. V. §. 20. ita decisum legitur, quòd Catholici numero Binario superent, quippe qui XXVI. Assessores præsentant, computatis duobus, Imperatoris præsentationi reservatis, Augustanæ verò Confessionis Status XXIV. Et hæ sunt Personæ hujus Tribunalis Principales: Minores sunt Director Cancellariæ [quæ tota ab Electore Moguntino tanquam Imperii ArchiCancellario per Germaniam constituitur vid. Ord. Cam. P. 1 tit. 26. & sustentatur d. P. 1. tit. 44.] Præfectus Tabellariorum, Generalis Fiscalis, Advocatus fisci: mediæ; Secretarii, Protonotarii, Notarii, Lectores, Notarius fisci, Quæstor, Ingrossistæ, Capistæ; infimæ: Pedelli, Minister Cancellariæ, Nuntii Equites & Pedites, de quibus singulis vid. Ord. Cam. P 1. ferè per tot.

TH. III.

PRoximum est, de summi hujus Tribunalis Jurisdictione disquirere; quæ ipsi concessa est universalis in omnes Imperii cives tam mediatos, quàm immediatos; In illos potissimum in appellationum Ord. Cam. P, 11, tit. 28. In *Jurisdictio.*

hos ſimplicis querelæ cauſis, ſalvis tamen Auſtregarum privilegiis Ord. Cam. P. II. tit. 1. Tres verò imprimis hîc occurrunt quæſtiones [1] An Camera cum Imperatore & Judicio Aulico concurrentem habeat Jurisdictionem? pro cujus deciſione, vid. quæ ſupra ſub Trib. Aul. Sect. 3. §. 3. dicta ſunt & add. hîc Ord. Cam. P. II. tit. 35. Limn. Tom. III. J. P. L. 9 c. 2. n. 60. ſeqq. Schütz Vol. II. Ex. II. th. 7. lit. B. [2.] Utrum Jurisdictionem ſuam à ſolo Imperatore, an verò ab Imperatore & Statibus conjunctim habeat? Poſterius affirmat D. Limn. J. P. L. 9. c. 2. n. 52. ſeqq. cujus rationes hæ ferè ſunt: quòd Camera conſtituta ſit ab Imperatore & Statibus ſimul R. I. Anno 1541. §. und damit auſſerhalb 31. quòd Ordinationes Cameræ ab Imperatore conjunctim cum Statibus factæ ſint R. I. Anno 1570. §. Weiters 42. quòd reviſio Cameræ & ſententiarum ibi latarum Statibus competat Ord. Cam. P. III. tit. 53. quòd Cameræ ab Imperatore & Statibus mandetur Reform. Cam. Anno 1531. in fin. &c. vid. Limn. d. l. Alii contra negant, ut Pauermeiſt. de Jdict. Imp. L. 2. c. 6. Speid. voc. Cammergericht. D. Schütz Vol. II. Ex. 2. th. 6. lit. D. ibique Addit. his ferè fundamentis innixi: quòd Decreta Cameralia ſub nomine & Sigillo Imperatoris expediantur Ord. Cam. P. III. tit. 12. §. und ſo ſolche 5. quòd omnes Cameræ Officiales in Cæſaris verba jurent Ord. Cam. P. I. tit. 57. ſeqq. quòd Imperator Cameræ Judices & Aſſeſſores puniat Ord. Cam. P. III. tit. 53. §. ob ſich aber 6. vid. plura argumenta & ad contraria reſponſiones apud d. AA. Alii denique diſtinguunt inter Inſtitutionem Cameræ, expediendæq; Jurisdictionis modum vel rationem, & ipſam Jurisdictionem ſeu reddendi juris poteſtatem: Illam à communi Cæſaris & Ordinum conſenſu procedere, hanc verò à ſola Cæſarea Majeſtate promanare aſſerunt vid.

Lam

Lampad. de R. R. G. P. 3. c. 16. Mihi quæ sententia placeat in re tam spinosa, & tanti præjudicii propter ingenii infantiam dicere supersedeo, quærenti tamen ex me in ipso conflictu non deero. Denique [3.] utrum Cameræ Jurisdictio Ordinaria sit, an delegata? Ordinariam esse puto cũ communi DD. calculo, terminis tamen probè intellectis, quia hæc jurisdictio fundata est in perpetua Imperii lege, Ordinatione, qualis semper ordinaria, nec obst. l. 3. ff. de eo cui mand. est Jdict. simile quid dari potest ex Jure Civili in Præfecto Prætorio: Rationes plures pro hac sententia stabilienda, & ad contrarias responsiones vid. apud Limn. Tom. III. J. P. L. 9. c. 2. n. 56. seqq. Mynf. Conf. 24. n. 1. seq. Pauermeist. de Jdict. Imp. l. 2. c. 6. n. 31. Reink. de R. S. & E. L. 2. clas. 2. c. 14. n. 14. Schütz de St. R. R. Vol. II. Ex. 2. th. 7. lit. B. Gail. 1. obs. 33. n. 1. & obs. 41. n. 5.

TH. IV.

Consideratâ Jurisdictione, ipsæ causæ, quæ in hoc Tribunali tractantur, videndæ sunt, quas melioris methodi gratiâ primò in genere distinguere placet in eas, quæ per viam simplicis querelæ, aliàs prima instantia dicitur, vel per appellationem seu secundam instantiam, ad hoc Judicium deferuntur. In prima instantia rursus vel ratione personarum, vel ratione causarum ejus Jurisdictio fundata est. Reorum igitur (quorum forum actor regulariter sequi tenetur l. 2. C. de Jdict. omn. Judic. l. fin. C. ubi in rem act.) ratione habitâ, rectè in Camera Imperiali conveniuntur, qui Imperio immediatè subjecti sunt, nisi vel publicâ legibus scil. Ordinationis, Außträge der Ordnung Ord. Cam. P. II. tit. 27. vel privatâ conventione, constitutos Judices, Gewillkührte Außträge Ord. Cam. P. II. tit. 2. pr. habuerint, vel Imperatoris privilegiô, vel alio modo ex Jurisdictione Camerali exemti fuerint. Primas

Causæ.

Primæ Instantiæ.

mas enim Instantias Camera strictè observare tenetur R.I. Anno 1654. §. benebens 105. nisi scil. Justitia protrahatur vel denegetur Ord.Cam. P.2. tit.1.§.2. Si tamen unus Correorum privilegio Austregarum gaudeat, alter verò non, ob causæ connexitatem ambo in supremo Tribunali conveniendi sunt l.5. C. Arb. Tut. Ord. Cam. P. II. tit.27. Ratione causarum Jurisdictio Cameræ in prima instantia fundata est, quando ipsum factum ita est qualificatum, ut ex sua natura ejus cognitio & decisio ad suprema Imperii Judicia pertineat, cessantibus omnibus primæ instantiæ privilegiis: Sequentia autem ferè earum causarum genera recensentur: Causæ fractæ pacis publicæ tam religiosę, quàm profanæ; causæ fiscales, causæ litigiosæ possessionis, causæ Pignorationum, causæ Arrestorum, causæ Mandatorum S.C. causæ relaxationis juramenti ad effectum agendi, causæ L. diffamari, causæ denegatæ & protractæ justitiæ, causæ violati privilegii Cæsarei, Examen testium ad perpetuam rei memoriam, causæ denique omnes, quæ propter cohærentiam & continentiam dividi non possunt, de quibus singulis vid. Ord. Cam. P. 2. à tit.9. usque ad tit. 27. Roding. Pand. Cam P.I.tit.6.seqq. D. Michaël. de SS.Cæs. Maj. Cam. & Stat. Jdict concl.37. Limn Tom III. J.P.L.9. c 2. n.111. seqq Schütz de St. R.R. Vol. II. Ex 2. th. 7. lit.B. Ab hactenus dictis tamen excipiuntur causæ, quæ ad Judicium Aulicum privativè, & exclusâ Camerâ, pertinent vid. suprà sub Trib. Aul. Sect. III. th. 3.

TH. V.

Secundæ Instantiæ seu Provocationis.

De prima instantia dictum: nunc ad secundam provocationis, quando nimirum quis inferioris Judicis sententiâ, aliôve factô gravatus Cameræ decisioni causam legitimè committit l. 1, pr. ff. de App, l.32, C. eod. Ord. Cam.

P. II.

P.II. tit: Von Sachen / so in der andern Instantz durch Appellation an das Käyserl. Cammer-Gericht erwachsen und gehören 28. Tria autem hic potissimum præter ipsa Appellationis solennia requiruntur: (1.) ut appellatio fiat gradatim, non per saltus, Judice scil. intermediô præterito Ord. Cam. P. II. tit. 29. §. 1. Exceptiones vid. apud Roding. Pand. Cam. P. 1. tit. 20. §. 6. seqq. (2.) ut summa litis sit appellabilis, quæ summa juxta ipsam Ord. Cam. erat 50. florenorum sortis P. 2. tit. 28. §. 4. sed postmodum aucta, donec tandem 400. Imperialium constituta fuerit per R. I. Anno 1654. §. Viertens 112. Aliud tamen est in rebus, quæ non sunt certæ æstimationis, ut jura, servitutes, annui reditus & similia, in quibus dicta quantitas attendi nequit Ord. Cam. P. II. tit. 28. §. 4. sed secundum dict. §. Viertens 112. sedecim Imperiales redituum summam appellabilem faciunt. Si igitur summa non est appellabilis, tunc Revisio actorum à Judice sententiæ, aut alicubi recepta Leuteratio & Oberleuteratio, vel transmissio ad Collegium Juridicum, peti potest d. R. I. §. doch mit diesem Zusatz 113. Quod si denegetur, Mandatum de concedenda revisione, vel de non impediendo uti jure constitutionum Imperii in Camera impetrari potest. (3.) Ne fiat contra privilegia Statuum & Judicis à quo Ord. Cam. P. II. tit. 28. §. 1 d. R. I. §. Drittens sollen 111. de quibus infra pluribus agetur Sect. VIII. §. 5.

TH. VI.

Ulterior Causarum Distinctio.

DEinde causæ sunt vel civiles, vel criminales, vel Ecclesiasticæ seu spirituales, vel feudales. Hactenus dicta omninò vera sunt de causis civilibus, adeòque has relinquo. De reliquis verò specialiter porrò nonnulla observari debent, & quidem de causis criminalibus, quòd de illis sit textus in Ord. Cam. P. II. tit. 28. §. 5. ibi: nachdem

auch dem hergebrachten alten Gebrauch im H. Reich zuwider/daß in peinlichen Sachen appellation zugelassen werden solle/ ordnen und wollen Wir/ daß hinfürter in peinlichen Sachen / die Leibs Straff auff ihnen tragen/am Käyserlichen Cammer-Gericht keine appellation angenommen / sondern angeregtem Gebrauch nach gehalten werde. Per causas autem criminales capitales hîc intelliguntur vid. Gail. 1. Obs. 1. n 27. Mynf. 4. Obs. 41. ergò si ad pœnam pecuniariam agatur, secus erit. Excipitur tamen, quando ratione nullitatis principaliter intentandæ processus in Camera [dummodo Judex à quo immediatè imperio subjectus sit] petuntur, quô casu, nullitate processus cognitâ, causa principalis ad eundem Judicem remittitur, eique, ut legitimè secundum jura procedat, injungitur vid. Gail. 1. obs. 1. n. 27. & seq. vid. Ord. Cam. d. l. ibi: doch da sich jemand. Cum autem d. text. de appellationis instantia loquatur, non convenit inter DD. an etiam in prima instantia criminalis Jurisdictio denegetur Cameræ, quando scil. Jus Austregarum cessat: Ipsi non denegandam esse statuit Petr. Frid. Mind. L. 1. de Proc. Extrah. c. 9. ab multas rationes; Rutg. Roland. de Commiss. P. I. L. 2. c. 3. contrarium defendit, & ad adversaria argumenta respondet, cujus etiam sententia in praxi recepta, & verior est, vid. Gail. 1. obs. 1. n. 27. additis tamen limitationibus, quas habet Limn. Tom. III. J. P. L. 9. c. 2. n. 180. seqq. qualis est in crimine fractæ pacis publicæ. Quo etiam pertinet text. Ord. Cam. P. 1. tit. 50. §. ult. de crimine à persona Camerali commisso agens. In Causis Spiritualibus seu ecclesiasticis [quæ autem tales sint, quæque earum exempla, declarat latè & eleganter Carpz Jurisp. Consist. Lib. 3. tit. 1. d. 2. add. Ziegl. ad Inst. Lancell. tit. de Jud. §. 2. p. 643.] Cameræ, utpote Judicio seculari,

lari, nullam esse Jurisdictionem, generaliter obtinuit c. 2. 3. 4 & 5. de Judic. c. 1. 2. 12. de for. comp. c. pen. de ord. cogn. clem. unic. de caus. prop. & poss. Mynſ. 1. obs. 100. Speid. voc. Cammer-Gericht. Gail. 1. obs. 38. n. 1. Diversa de praxi verò est causa usurarum, per R. I. Anno 1530. & anno 1548. tit. Von wucherlichen Contracten / ubi Cameræ mandatur, daß sie die wucherlichen Contracten unwürdig/ krafftloß und unbindig erklären solle: Absolutionis juramenti ad effectum agendi: item quando in causis ecclesiasticis de facto quæstio incidit: unde in possessorio, [non tamen adipiscendæ, rationem dant Canonistæ, quia auctor in hoc sine titulo canonico non possit obtinere, & propterea plus habeat spiritualitatis, quàm temporalitatis Heinr. ab Alex. ad tit. X. de Judic. n. 11.] de decimis, de jure patronatus, rectè pronunciat vid. D. Michaël. de SS. Cæs. Maj. Cam. & Stat. J dict. th. 39 seq. Limn. Tom. III. L. 9. c. 2. n. 192. seqq. add. Gail. 1. obs. 38. n. 2. seqq. Sprenger. Inst. Jur. Publ. pag. 61. Mynsing 1. obs. 67. n. 2. Ad Ecclesiasticas causas etiam pertinent matrimoniales c. gaudemus 8. de divort. quare de his idem erit dicendum, eæque ferè limitationes admittendæ, ac ideò etiam de quæstionibus matrimonialibus meri facti, nullitate processus, incidenti matrimonii jure &c. in Camera rectè disceptatur vid. D. Michël. d. l. th. 42. Limn. d. l n. 186. seqq. Schütz de Stat. R. R. Vol. 2. Ex. 2. th. 7. lit. B. circa fin. ibique all. AA. De quæstione, ubinam ergo Status in matrimonialibus conveniendi sint? vid. inf. Sect. V. Trib. Austr. th 4. Denique quod ad Causas feudales; De feudis regalibus dubium non est, quin ad Cameram non pertineant per text. expr. in Ord. Cam. P. II tit 7. vid. supra sub Trib. Aul. Sect. III. th. 4. Sed de minoribus Imperii feudis non convenit, utrum ab eorum cognitione excludatur

Camera, an verò cum Imperatore concurrat? posterius tenet Gail. 1. obs. 29. ubi refert, ad propositam hac de re quæstionem à Camera ita fuisse conclusum ex ratione, quia feuda regalia expreßè sint excepta, ergò in casibus non exceptis stetur dispositioni juris communis, hancque sententiam præjudiciis dicit confirmatam; cum quo consentiunt multi; alii tamen contrarium defendunt multis argumentis, additis ad contrarias rationes & allegata præjudicia responsionibus, ut videre est apud Limn. d. L. *9*. c. 2. *n*. *166*. seqq. & Schütz d. Vol. II. Ex. 2. th. *7*. lit. B. qui ambo nihil certi definiunt, quare non miraberis, si meum quoque judicium, utpote nimis immaturum, suspendero.

TH. VII.

Processus Judiciarius.

DE Processu, qui in summo hoc Tribunali observatur, verba facere supersedeo, tùm quia hoc argumentum tam amplam trahit disputandi materiam, ut vel mei propositi finem, & hujus dissertationis terminos transgredi necesse haberem, vel ea omnia breviter comprehendere volens, nihil proficerem, tum etiam, quod is & in ipsa Ord. P. 3. per tot. ac hanc in nonnullis emendante R. I. novissimo Ann. 1654. satis descriptus, & à tot doctissimis viris hactenus integris Voluminibus luculenter explicatus est.

TH. VIII.

Locus.

SEdem hoc Judicium ab initio non habuit certam, sed hæc Maximiliani I. tempore regula tantum erat, ut loco haberetur commodo C. G. O. zu Worms anno 1495. tit. Wo das Cammer-Gericht gehalten werden solle: Posteà tamen eam fixam accepit in Comitiis Augustanis Statuum consensu & quidem Spiræ R. A. anno 1530. §. dazu meinen und wollen Wir 83. quod repetitur in Ord. Cam. P. 2. tit 34. hâc additâ ratione, quòd hactenus viri docti

docti profectioris ætatis munera Cameralia vel evitaverint subeunda, vel gesta deposuerint, propter loci incertitudinem & mutationem. Potest tamen fieri hujus Judicii translatio, si prægnans ratio id suadeat, qualis est tumultus bellicus, vel contagiosa lues, & Imperatoris ac Statuum accedat consensus Ord. Cam. d. tit. 34. Sic propter arma Gallica anno 1674. meditabatur abitum, nisi partes neutrales à Turennio & Rege Galliæ obtinuisset.

TH. IX.

Hujus Tribunalis Visitatio.

DEnique, ut Cameræ Judicium firmius consisteret, vitia emergentia corrigerentur, & litigantes, qui se gravatos putarent, haberent remedium, quo iniquum ad æquum reduci possit, constituta est Visitatio Cameræ, & huic cohærens Actorum Judicialium Revisio. De Visitatione textus est in Ord. Cam. P. I. tit. 50. ibi: Fürter und zu mehrerer Beständigkeit dieses Cammer Gerichts / ordnen / setzen und wollen wir / daß fürter Jährlich das Cammer-Gericht durch der Käyserl Majest. oder Ihr. Liebd. und Käyserl. Majest. abwesens / Unser / als Römischen Königs / auch Churfürsten / Fürsten und Stände verordneten Commissarien und Räthen alle Jahr den 1. May / an dem Ort / da es gehalten / visitirt werden solle etc. Visitatorum itaque munus est, Cæsaris nomine omnes personas Camerales, corruptelasque ac defectus Judicii cognoscere, atque corrigenda corrigere. Disponitur autem in d. text. quòd in hac annua Visitatione Princeps quidam, quem ordo tangit, ipse adesse debeat, sin verò ipse propter valetudinem nequeat, alium in persona Principem substituat: quod tamen hodiè Principum voluntati relictum vid. R. I. Nov. anno 1654. §. Wie nun diß 128. In revisione verò nec olim aliquis Princeps in persona adesse tenebatur, sed Status viros prudentes &

 huic

huic rei sufficientes mittunt d. text. ibi: und im Fall/daß neben der Visitation &c.

Actorum Judicialiũ Revisio.

De Revisione loquitur Ord. Cam. P. 3. tit. 53. Nimirum qui se Cameræ sententiâ gravatum putat, adeòque vel syndicatus, vel simplicis Revisionis remedio uti vult, is intra quatuor à lata sententiâ menses (olim juxta Ord. Cam. d. tit. 53. tantùm duo, & juxta R. I. anno 1557. §. wiewohl ferner 23. tres menses erant) Archi-Episcopo Moguntino, tanquam Imperii Archi-Cancellario, scriptis id significat; qui postmodum Imperatorem, Statusque, quos ordo illo anno ad visitationem vocat, congruo tempore certiores reddit, ut hi, unà cum Commissariis Imperatoris, suos etiam Consiliarios ad acta revidenda mittere possint. Quando causa ipsum Electorem Moguntinum concernit, ab Electore Trevirensi revisio est petenda vid. R. I. anno 1594. §. als uns auch 99. Terminus verò ille quatuor mensium semper est præjudicialis, ita, ut illô neglectô, quis non amplius audiatur R. I. anno 1654. §. In fällen da 125. ad exemplum decendii in appellatione auth. hodie C. de Appell. Ord. Cam. P. 2. tit. 29. Qui itaq; revisionem petiit, intra dictum quadrimestre sub pœna desertionis eam Cameræ insinuare, gravamina summariter exhibere, & tam ipsemet, quàm ejus Advocatus juramentum revisorium præstare tenetur vid. R. Deput. anno 1600. §. ob wohl hierbey 158. R. I. anno 1654. d. §. In fällen 125. Debet insuper aliquam pecuniæ summam, quam Revisores, inspectâ personâ & causâ, determinant, deponere, aut datis fidejussoribus vel pignoribus de ea idonée cavere, quæ fisco Imperiali, si succumbat, applicatur d. tit. 53. §. und damit 2. pauperes tamen etiam ad juratoriam cautionem admittuntur, ac in casu succumbentiæ luunt in corpore, quod non habent in ære vid. Gail. 1. obs. 155. n. 4. Reink.

de

de R.S & E. L. 11. claſ. 2. c. 15. n. 14. add. d. R. I. anno 1654. §. und damit dann 126. Quoad ipſam cauſam requiritur, ut ſumma ſit reviſibilis h. e. 2000. Imperialium ſine computatione penſionum & intereſſe d. R. I. nov. §. in Abkürtzung 127. Reviſores ipſi, antequam judicent præſtant juramentum ſolenne Ord. Cam. d. tit. §. darauff ſollen 3. Poſſunt tamen etiam ob legitimas cauſas à Camera, imò ab ipſis partibus recuſari vid. R. I. anno 1559. §. und nachdem ſich 62. ſeqq. Limn. I. P. Tom. III. L. 9. c. 2. n. 219. Reink. de R S. & E. L. 11. claſ. 2. c. 15. n. 21. Potiſſimùm verò de effectu Reviſionis quæritur, an ſit ſuſpenſivus? Olim non fuiſſe ſuſpenſivum teſtatur Limn. d. l. 9. c. 2. n. ult. Verùm poſteà in R. Deput. anno 1600. §. als auch Streit 157. cautum fuit, daß pendente Reviſione mit der Execution nicht zu verfahren / ſondern damit eingehalten werden ſolle; ubi tamen adhuc quærunt DD. an Camera per SCtum, non obſtante Reviſione, executionem mandare poſſit? vid Schütz de St. R R. Vol. II. Ex. 2. th. 7. lit. D. In noviſſimo R. I. anno 1654. §. nach Berathſchlagung 125. hæc reperiuntur: Setzen / ordnen und wollen auch / daß gleichwohl der effectus ſuſpenſivus bey den geſuchten reviſionibus wieder die Cammer-Gerichtliche Urtheil uns künfftig auffgehebt / und allein devolutivus ſtatt finden ſolle / jedoch mit der condition, daß die Partey / vor welche die ſententia geſprochen / und von derē die execution begehret wird / gnugſame caution de reſtituendo, auff den Fall der Verluſtigung der Sachen / in dero reviſion Gericht leiſten ſolle; & paulò poſt in eodem §. ſolle ſolche ceſſatio effectus ſuſpenſivi Reviſionum auff die künfftige / und nicht auff die jenige reviſiones, welche ſchon in Camera geſucht worden / verſtanden werden / wie dann auch in den künfftigen Reviſionibus,

welche in Geistlichen oder Religions-Sachen gesucht werden möchten / der effectus suspensivus noch so lang zu lassen / biß auff bevorstehenden prorogirten Reichstag oder andern Reichs-Convent man sich hierüber ebenmässig eines andern vergleichen wird. Executio autem sententiæ sive confirmatæ, sive reformatæ à Revisoribus, nunquam ad Revisores, sed semper ad Cameram spectat Ord. Cam. P. 3. tit. 53. §. darauff sollen 4. §. im Fall aber 7. & seq. Plures de Revisione quæstiones, v. g. an à denegata revisione denuò revisio peti queat? an, si, qui in Camera victor extitit, in revisione succumbat, is saltem revisionem revisionis petere possit? an sub conditione, nisi ita pronuncietur, revisionem petere, & Cameræ intimare liceat? an ab interlocutoria detur revisio? an Revisores sint Judices ordinarii vel delegati? vide apud Limn. Tom. III. J. P. L. 9. c. 2. n. 211. & seqq. Roding. Pand. Cam. L. 3. tit. 61. ubi etiam illud notandum, quod non liceat Procuratoribus Cameræ juratis Revisionem litigantibus suadere, aut ullâ ratione promovere, secus si faciant, multantur. Quæ hactenus de Revisione dixi, ea de Syndicatu quoque intellecta volo, quia & in hoc petendo, instituendoque eadem forma, eædemque processus regulæ, quæ in Revisione, observantur, & in eo tantùm differentia est, quòd in Syndicatu dolus, in Revisione verò culpa vel error impugnetur. De Restitutione in integrum contra sententiam Cameræ vid. Ord. Cam. P. 3. tit. 52. & quia ibi de hoc remedio nihil singulare ordinatur, sed duntaxat cavetur, ne restitutiones in integrum per calumniam, aut ex actis jam judicialiter deductis, aut ex aliis non legitimis, nec satis relevantibus causis postulentur, & si secus fiat, executio non differatur, ideò de ea plura dicere necessarium non puto,

Syndicatus.

Restitutio in integrũ

puto, videri tamen potest, præter commentatores juris communis, Roding. Pand. Cam. lib. III. tit. 60.

SECTIO V. *continens Tribunal seu Judicium Austregarum.*

TH. I.

HÆc de Supremis Imperii Tribunalibus, & secundùm datam divisionem ad primam classem spectantibus, dicta sufficiant: venio nunc ad Intermedia seu subalterna & ad secundam classem pertinentia, quò retuli [1.] Austregas, quæ ita dicuntur, voce à germanica, Außträge/ deductâ, quòd coram certis Judicibus electis negotia & lites Immediatorum terminentur: außtragen enim in vernacula idem est quod erörtern/beylegen. Sunt igitur Austregæ, Judicium pro diversitate litigantium constitutum, in quo controversiæ Statuum, aliorumque immediatorum sub prima instantia juxta formam & modum Ordinationis tractantur, & definiuntur vid. Schütz de St. R.R. Vol. II. Ex. 3. th. 2. Dividuntur autem in Conventionales & Legales: illas voco, quas nonnullæ familiæ & corpora sibi ipsis peculiares constituerunt, sonderliche/gewillführte Außträge: has verò appello, quæ ab ipsa lege & constitutione Imperii introductæ, atque certis Ordinibus concessæ sunt vid. Ord. Cam. P. 2. tit. 2. §. 1. ibi: Welche sonderliche gewillführte Rechtliche Außträge gegen einander haben/ die sollen sich/laut derselben/gegeneinander gebrauchen: Welche aber dieselbe Außträge gegen einander nicht hätten/ soll der klagend etc. atque de his posterioribus in primis h. l.

Vocis Explicatio.

Definitio.

Divisio.

disse-

Origo. differendum erit. De Origine Auſtregarum DD. variè diſputant, communior tamen ſententia eò redit, quòd conventionales quidem conſuetudini jam ante Maximiliani I. tempora receptæ attribuendæ ſint; Legalium verò prima fundamenta ipſe Imperator Maximilianus poſuerit anno 1495. in Comitiis Wormatienſibus tit. Wir Churfürſten / Fürſten / und Fürſtenmäſſige einander zu recht fordern ſollen/ & ſeqq. vid. Limn. Tom III. J. P. L. 9. c. 5. n. 3. ſeqq. Schütz Vol. II. Ex. 3. th. 4. De Conventionalibus etiam hoc notandum, quòd, ſi fortè cum legalibus concurrant, his præferantur, aliàs Ordinationis Auſtregis conventus ſe exceptione fori incompetentis tueri poſſet, tum ex regula Juris Civilis, quòd pacta derogent juri communi l. 1. §. 6. ff. depoſ l. fin. C. de pact. conv. tum ex Ord. Cam. P. 2. tit. 2. §. 1. in modò adductis verbis: Deinde erunt quoque ſtrictiſſimi juris c. 28. de R. I. in 6. neque ad alia extendenda, quàm de quibus conventum eſt per text. appoſitum l. 32. §. 15. ſeqq ff. de recept. qui arb. Habent autem hujusmodi Auſtregas non-legales ſeu conventionales non tantùm nonnullæ civitates Imperiales, quippe quæ aliàs Judicibus primæ inſtantiæ ſeu Ordinis non gaudent, ſed etiam diverſæ Principum, Comitum, Baronum & Nobilium immediatorum familiæ; magnum earum numerum videre licet apud Limn. d. L. 9. c. 5. n. 16. & Schütz Vol. II. Ex. 3. th. 3. per tot. ibique Addit.

TH. II.

Perſonæ his Judicibus gaudentes. NUnc videndum, quænam perſonæ primâ hâc inſtantiâ & Judicibus Ordinationis fruantur? Sunt autem illæ [de reis loquor, quorum forum actor ſequitur] immediatè Imperio ſubjectæ, non tamen omnes. Excipiuntur enim Civitates Imperiales, quibus regulariter Auſtregæ non competunt vid. Ord. Cam. P. 2. tit. 2. & ſeqq. quippe

in

in quibus earum, ut reorum nempe, multa ſit mentio , & Gail.1. obſ. 1. n.20. Cæterorum autem immediatè Imperio ſubjectorum, quod ad ſubſtratam materiam, duo ſunt genera, nimirum vel Principes, & qui his pares judicantur, (Fürſtenmäſſige) vel infra Principum dignitatem conſtituti: Utrique rurſus conveniuntur, vel à ſui paribus, vel ab aliis. De primi ordinis perſonis, Principibus ſcilicet, ſub quo vocabulo comprehendo etiam die Fürſtenmäſſige/ quatenus conveniantur, loquitur tit. 2. & 4. Ord. Cam. P.2. in tit. 2. quidem , quomodo, & coram quibus Judicibus Principes à Principibus in jus vocandi ſint; in tit. 4. autem quomodo, & coram quibus Judicibus Principes ab actoribus infra Principes conſtitutis in jus vocandi ſint ? Primo igitur caſu in d. tit. 2. ſic diſponitur: Actor reo petitionem, poſtulataque ſua in ſcriptis mittat , jusque & juſtitiam flagitet: ad hoc reus intra quatuor hebdomadas, à tempore denunciationis computandas , quatuor Principes ipſo actu regentes (regierende Fürſten) partim clericos, partim Laicos, ex diverſis familiis oriundos nominet, ex quibus actor unum eligere habeat, & electum reo intra quatuor ſeptimanas per literas ſignificare , uterque verò tam actor, quàm reus delectum Judicem ſcriptis requirere debet , ut cognitionem cauſæ ſuſcipiat, & partes citet. Hic Judicis officium ſuſcipere tenetur, & tanquam Commiſſarius Cæſaris negotium , adhibitis tamen ſuis Conſiliariis, terminare, ſententiamque dicere. Secundo caſu octo viæ acturo præſcriptæ ſunt, ex quibus unam pro lubitu eligere poteſt vid. d. tit. 4. quas omnes adducere, brevitatis gratiâ ſuperſedeo , poſſunt de iis videri ipſe text. & A. A. infra citandi. Illud tantùm hîc monuiſſe ſufficiat, quòd dictæ octo viæ etiã obtineant, quando Principes non ab immediatis, ſed à mediatis, ſive hi Principum eo-

 eorun-

rundē sint subditi, sive non, conveniuntur per d. tit. 4. §. fin. und sollen solche Austräge der Prälaten/Graffen/Herren/Ritterschafft und Städt in allermassen/wie sie oben gesetzt/auch mit denen Bürgern/Bauern und andern Unterthanen gegen den Fürsten und Fürstenmässigen statt haben. Hæc de primi generis personis. Alterum genus est personarum immediatè quidem Imperio subjectarum, neć tamen Principali dignitate coruscantium, quales sunt Prælati, Comites, Barones & Nobiles Immediati. Hi igitur rursus vel à Principibus conveniuntur, vel à sui paribus, & inter se; De primo casu est tit. 3. d. P. 2. ubi rursus duæ viæ præscribuntur; prima, ut Princeps actor Commissarium non suspectum sui Ordinis, seu ex Principum numero, ab Imperatore impetret, qui reo intra duodecim milliaria vicinus sit; altera, ut Princeps ab reo postulet, ut tres Principes non suspectos, neque ultra duodecim milliaria ab actore remotos nominet, ex quibus Judicem eligat. De secundo casu est tit. 5. ubi itidem duo remedia prioris definitionis obtinent. Ultra Ordinatio non procedit, adeòque statuendum, quòd ille casus, quando persona secundi generis neque à superioribus, neque à sui Paribus, sed ab aliis aut immediatis, ut Civitatibus Imperialibus, aut mediatis personis conveniuntur, ad Austregas non pertineat, quia sunt stricti juris, neque extendendæ c. 28. de R. I. in 6. Illud notandum, quòd ex prædictis primarum instantiarum modis duo utplurimùm frequententur, nimirum ille, quo tres ab reo denominantur Principes, ex quibus ab actore unus eligitur, & Impetratio Commissarii Cæsarei vid. Limn. Tom. III. J. P. L. 9. c. 5. n. 18. seqq. Roding. Pand. Cam. L. 1. tit. 4.

TH

TH. III.

Variæ circa Personas quæstiones.

EX hoc personarum primis his instantiis & judicibus Ordinationis gaudentium tractatione variæ fluunt quæstiones. Sic quæritur (1.) si contra duos pluresve, Judices Ordinationis diversos habentes, agendum fuerit, an non statim actori Judicem Cameræ adire liceat? ℞. affirmando, vid. Recess. Dep. anno 1600. §. bey Unsern Käyserl. 23. Roding. d. l. §. 5. (2.) siquis Imperii Status, Judices Ordinationis habens, unà cum suo subdito aut ministro in jus vocandus sit, an hic cogi possit, ut sequatur Principis vel Domini sui Judicem, Ordinationis scilicet, an verò talis Status simul cum subdito vel ministro suo ob causæ connexitatem statim coram Judice supremo conveniri possit? ℞. affirmando posterius, nisi tamen solius Domini jubentis jus personamque contingat, cæteris officii duntaxat ratione conventis vid. d. Recess. Dep. §. gleicher massen 24. Roding. d. l. §. 7. & 8. (3.) si tales Status ab extraneis conveniantur, an & tunc Austregæ locum habeant? ℞. Plerique affirmant, quia certissima juris regula est, quòd actor debeat sequi forum rei l. 2. C. de Jdict. omn. Jud. & in formando processu ejus loci statuta sunt attendenda, ubi agitur, nec extraneo debet licere, quod civi non licet vid. Frid. Mind. de Proc. Cam. P. 1. c. 17. [4.] an Episcopus nondum investitus gaudeat privilegiô Austregarum? ℞. affirmandô, quia Ecclesiasticis tantum tribuit electio, quantum secularibus successio vid. Schütz de St. R. R. Vol. II. Ex. 3. th. 7. lit. B. [5.] An Capitulum immediatum sede vacante habeat privilegium Austregarum? ℞. Affirmandô, rationes vid. apud Limn. Tom. III. J. P. L. 9. c. 5. n. 28. [6.] An non tantùm prædictæ personæ gubernantes, sed etiam horum fratres, unà cum liberis utriusque sexus, & uxoribus hoc jure fruantur? ℞. affirmandô,

rationes habet Schütz Vol. II. Ex. 3. th. 8 lit. A. B. C. D. E. F. nec obstat 2. f. 10. nec proverbium illud impudicum: Principem sine territorio esse tanquam fidem sine operibus. [7.] An etiam viduæ & Sponsæ? ℞. Affirm. l. 22. §. 1. ff. ad municip. l. 30. de R. I. l. 43. ff. de Test. milit. [8.] An liberi adoptivi? ℞. affirm. quia omni jure & privilegio adoptantium gaudent l. 13. l. 35. ff. de Adopt. l. 5. & 6. 10. de Senat. add. Schütz d. l. lit. C. nec obstat, quòd adoptivi in feudo non succedant 2. f. 26. v. adoptivus; est enim diversa ratio. (9.) An legitimati? ℞. affirm. tam de legitimatis per subsequens matrimonium, quàm per Rescriptum Principis, rationes vid. apud Schütz d. l. lit. H. nec obstat, quod hi, nempe per Rescriptum Principis legitimati secundùm communem Doctorum sententiam in feudis non succedant 2. f. 26. v. naturales. add. Struv. Synt. Jur. Feud. c. 9. aph. 3. n. 8. seqq. Denique [10.] an liberi à patre Principe, Comite &c. matre verò ignobili progeniti hujus privilegii capaces sint? ℞. affirm. vid. Schütz d. l. th. 9.

TH. IV.

Causæ. De causis ad hoc Austregarum Tribunal spectantibus nunc videndum. Constituam autem causarum quatuor genera, civilium, spiritualium, criminalium, & feudalium. Quantum ad civiles, illæ regulariter ad Austregas pertinent, quippe de quibus tota ferè Ordinatio loquitur P. 2. tit. 2. seqq. Spirituales verò, uti ab omni foro seculari, ita etiam ab hoc excipiuntur vid. Reink. de R. S. & E. L. 3. clas. 1. c. 10. n. 24. seq. nisi sit causa possessionis, facti, aut similis per se non spiritualis vid. supra Sect. IV. Trib. Cam th. 6. De matrimonialibus, quæ ad spirituales refero, gravior est quæstio: Et quamquàm D. D. valdè inter se dissentiant, uti videre est apud A. A. mox allegandos, in eo tamen plurimi conveniunt; quòd, nisi itidem de facto

agatur, Austregarum Jurisdictio fundata non sit vid. Reink. cit. loc. Limn. J. P. Tom. II. L. 4. c. 8. n. 90. seqq. Schütz Vol. 2. Ex. 3. th. 13. lit. C. Quæritur ergò, ubinam Status in matrimonialibus conveniantur? Sanè de Catholicis plerique asserunt, eos, quia Jurisdictionem pontificiam adhuc agnoscunt, vel coram Episcopo loci, vel ipso Pontifice pro gravitate causæ conveniendos esse c. 2. & 3. de Jud. Quod ad Status Augustanæ Confessionis verò, majus dubium, cum in eos Ecclesiasticorum Jurisdictio per Pacem Religiosam sit suspensa Inst. Pac. Art. V. §. 16. Sunt qui Imperatorem statuunt Judicem, alii Cameram, utrumque rejicit Reink. d. R. P. & E. L. 3. clas. 1. c. 10 n. 31. seqq. alii proprios Consiliarios, adjunctis quibusdam Theologis Limn. L. 4. c. 8. n. 94. alii arbitros à partibus eligendos, alii aliter sentiunt vid. Schütz Vol. 2. Ex. 3. th. 13. lit. C. De Criminalibus rursus variæ sunt Doctorum sententiæ, & multæ altercationes, plerique in multiplici rationum pro & contra copia natant, nec certi quid in hac re definire audent vid. Limn. Tom. II. J. P. d. L. 4 c. 8. n. 98. seqq. & Tom. III. L. 9. c. 5. n. 63. seqq. Schütz Vol. 2. Ex. 3. th. 13 lit. D. & ab his all. AA. Restant causæ feudales, quas DD. communiter ab Austregarum Jurisdictione excludunt. vid. Gail. 1. obs. 1. n. 54. Limn. L. 9. c. 5 n. 76. Reink. L. 2. clas. 2. c 16 n. 23. nisi tales sint, quæ aliàs ad Judicem ordinarium spectant Schütz d. l lit. B. quales autem hæ sint, ex Jure feudali constat vid. Struv. Synt. Jur. Feud. c 16. aph. 7. Denique notandum ab Austregarum Judicio exemtas esse omnes causas, in quibus Cameræ Jurisdictio immediatè est fundata, de quibus vid. supr. Sect. IV. Trib. Cam. th 4.

TH. V.

Nonnullæ circa Jurisdictionem Austregarum quæstiones.

EX hactenus dictis aliquæ oriuntur quæstiones, quas non injucundas puto. [1.] Qualisnam hæc Austregarum Jurisdictio dici mereatur, an ordinaria, an verò delegata? In qua quæstione Doctores supra modum desudant, ac in diversas partes tracti, pro utraque sententia magno agmine pugnant, uti videri potest apud Limn. Tom. III. L. 9. c. 5. n. 38. seqq. & Schütz Vol. 2. Ex. 3. th. 12. lit. A.B.C. quorum ille Ordinariam esse defendit & ad adversaria argumenta respondet, hic quæstionem hanc tam arduam dicit, ut ferè cum Pomponio in l. 36. ff. de re jud. non liquere sibi, dicere non erubescat, delegatam intrepidè asserit, innixus & contentus solo textu Ord. Cam. P. 2. tit. 2. ibi: Als Käyserlicher Commissarius in Krafft der Commission, die Wir als Römischer König an statt der Käyserlichen Majestät/ in Krafft Ihr. Liebd. und Käyserlichen Majestät Uns gegebenen Vollmacht und Heimstellung / hiermit einem jeden gethan haben wollen. Sed trahat sua quemque opinio, mihi placet D. Lampadii de Rep. Rom. Germ. P. 3. c. 16. §. 83. sententiam, eamque mediam eligere: is autem distinguit inter munus ipsum judicandi, & personas judicantes; ac munus, inquit, horum Judicum perpetuâ lege sancitum est per d. Ord. ac idcirco in abstracto Ordinarium: sed Judices defuncturi hoc judicandi officiô à partibus designati à Cæsare delegantur d. tit. 2. in all. verb. Et sane perennis hujus Judicii ordo in universis consistit, ex quibus litigaturi suo arbitratu singularem sibi Judicem eligunt, cui deinde à lege publica seu Cæsare jurisdictio commissa est. [2.] An, uti Cameræ Imperialis, ita Aulici quoque Judicii Jurisdictio hic suspensa sit? ℞. affirm. per textum expressum in Instr. Pac. Art. V. §. 20. v. 55. Capit. Leop. art. 18. [3.] an reconven-

ventioni locus sit eorum Austregis? ℞. affirm. per Ord. Cam. P. 2. tit. 4. §. 16. ubi duo tantùm articuli excipiuntur, vid. Limn. Tom. III. J. P. L. 9. c. 5. n. 75. Schütz Vol. 2. Ex. 3. th. 15. lit. D. & th. 29.

TH. VI.

Finis. Execucio.

FInis Austregarum est, ut Proceres Imperii plures unâ habeant instantias vid. Schütz d. l. lit. A. Executio rei judicatæ, quando nimirum sententia per appellationem non est suspensa, competit Cameræ per Ord. Cam. d. P. 2. tit. 8. §. 8. Cæterùm de modo procedendi ipso, post judicem constitutum, secundum varias Austregarum species videri potest Roding. Pan. Cam. tit. 4.

SECTIO VI. *continens Tribunal seu Judicium Rotwilense.*

TH. I.

Vocis Explicatio.

AD Tribunalia Imperii subalterna (II.) pertinet Dicasterium Rotwilense, Germanis das Rothweilische Hoffgericht / item das Käyserliche Hoffgericht zu Rothweil / vel der freye Stuhl zu Rothweil dicitur vid. Wehn. Obs. Pract. voc. Rothweilisch Hoffgericht / R. I. anno 1521. §. und nachdem 16. Sortitur autem hoc nomen à se de sua urbe, nimirum Rotwila, quæ est civitas Imperialis cis Danubium ad sinistram Nicri partem non procul ab utriusque fluvii fontibus sita. Potest igitur hoc Judicium describi, quòd sit Collegium Judicum, qui Rotwilæ locô Cæsaris per certas Germaniæ provincias Jurisdictionem exercent. Institutum id est ab Imperatore Conrado III. [plerique quartum nominant,

Definitio.

Origo & Ordinatio.

nant, sed haud dubiè malè] Sueviæ Duce, hâc occasione. Cum Imperii Optimates post excessum Heinrici V., circa electionem Imperatoris valde dissentirent, ac inter alios imprimis Lotharius Saxo,& Conradus Suevus rerum summæ destinarentur; Saxonum quidem vota vicêre, ac Lotharius dignitatem adeptus est: Conradus tamen etiam à sua factione Rex creabatur ac ideò gravia inter hos duos bella oriebantur. Quibus postquam prævaluisset Lotharius, Conradus, ut impetum Lotharii sustineret, se in urbem Rotwilensem, de fide civium securus, contulit. Rotwilenses oppugnati à Lothario non solum obsessionem strenuè experiebantur, sed deinceps quoque Conrado omni modo adsistebant. Quare, cum tandem post Lotharium Imperio potiretur Conradus, in gratitudinis & munificentiæ documentum, præter alia in Civitatem Rotwilensem collata privilegia, eam quoque hoc Judicio ornavit Anno 1146. vid. D. Er. Maurit. Diss. de hoc Jud. c. 2. th. 4. Schütz de Stat. R.R. Vol. II. Ex. 2. th. 8. ad lit. A. B. Addit. in deductione, quæ pro Judicio Rotwilensi in Comitiis de anno 1653. proponebatur ibi: zu forderst: Speid. voc. Rothweilisch Hoffgericht. Varias ejus Ordinationes citat D. Limn. Tom. III. J. P. L. 9. c. 3. n. 5. ex Goldast. Tom I. der Reichs-Satzungen/ p. 6. & seqq. & p. 206. ac tom. 2 p. 296.

TH. II.

HOc Judicium solius Imperatoris, non totius Imperii esse, communiter tradunt, vid. Limn. J.P. Lib. 9. c. 3. n. 8. Wehn. Obs. tract. voc. Rothweilisch Hoffgericht. D. Maurit. d l. c. 2. th. 5. Schütz de St. R. R. Vol. II. Ex. 2. th. 8. lit A. Quamvis enim in Recessu Ratisbonensi anno 1532. tit: das Rothweilisch Gericht betreffend/ constitutum sit, quòd reformatio hujus Judicii, Judici & Assessori-

bus

bus Rotwilensibus injuncta, Cameræ visitatoribus ad emendandum transmitti debeat, id tamen ad preces Statuum ex speciali Cæsaris consensu & mandato factum, huic assertioni non obstat Speid. d. voc. Prætor hujus Dicasterii seu Judex perpetuus est Comes Sultzensis, quod officium feudi nomine dicti Comites ab Imperatore recognoscunt vid. Wehn. d. l. Assessores olim duodecim Nobiles, deinceps tredecim ex arbitrio Senatus Rotwilensis ex eorum ordine lecti erant; hodiè verò ex nova reformatione illi quidem ex dicto Senatu sumuntur, absque tamen Judicis & Assessorum examine non recipiuntur vid. Wehn, d. voc. Personæ.

TH. III.

JUrisdictionem hujus Tribunalis quod concernit, ea non est universalis, sed certo districtu circumscripta, cujus fines in Maximiliani I. confirmatione privilegii Rotwilensis, quam exhibet Limn. d. Lib. 9. c. 3. in fin. describuntur, ipsa verba brevitatis gratiâ non adduco, vulgò quatuor Circulos Austriacum, Suevicum, Franconicum & Rhenanum istô contineri dicunt; non tamen integri, sed partes tantùm illorum intelligi debent, vid. Pauermeist. de Jurisd. Imp. L. 2. c. 7. n. 12. Wehn. obs. pract. d. voc. Speid. ibid. Est autem hæc Jurisdictio in dicto districtu generalis tam quoad personas, quàm quoad causas. Personæ enim omnes in designato districtu habitantes in hoc Judicio conveniuntur, nisi qui privilegiis, vel alio modô exemti sunt, quæ suæ exemtionis monumenta Judicio vel originaliter, vel exempla eorum authentica insinuare debent, uti patet ex all. Maximiliani I. Conf. Priv. ibi, welche/ Es seyen Fürsten/ Graffen/ Herren/ Städte oder andere in den vorbemeldten circulen begriffen / in gemein oder sonderheit von Römischen Kaysern und Königen/

Jurisdictio.

Generalis quoad Personas.

nigen/vor das jetztberührte Unser und des Reichs Hofgericht zu Rothweil begnadet und befreyet seyn/sich oder die ihren/wann sie vor Unser Hoffgericht geladen werden/entziehen wollen/daß dieselbe ihre Freyheiten/oder glaublich vidimus davon vor Gericht zu zeigen schuldig seyn sollen: Exceptis Electoribus, quorum privilegia ex A.B. art. 11. nota sunt d. text. in verb. seqq. quare & per literas subditos suos avocare possunt d. text. Cæterorum verò exemtorum magnum numerum congessit Wehn. Obs. pract. voc. Ehehafften & idem in Tom. VI. c. 2. 3. & passim Symphor. Gylm. adject. Certè eorum tanta est copia, ut Rotwilense Judicium in Comitiis anno 1653. conquestū fuerit, daß alle und jede Stände des auffgezeichneten Bezircks mit exemtions Freyheiten versehen vid. Addit. in Schütz Vol. II. Ex. 2. th. 8. lit. A. B. Hæ tamen exemtiones ita interpretandæ sunt, ut excipiantur casus illi privilegiati & reservati, Rotwilensibus in suo judicio vētilandi, quos ad avocationem Statuum privilegiatorum non coguntur remittere, Ehehafften autem eos dicunt, aliô prorsus significatu, quàm in Jure Civili, ubi nimirum hoc vocabulum pro legitimis impedimentis accipitur vid. Struv. Synt. J. C. Ex. 5. th. 29. Enumerantur illi Casus reservati in Ord. Rotw. P. 2. tit. 5. d. Confirm. Priv. Maximiliani I. ibi Ferner so seye ein jeglicher Hoffrichter etc. & quidem viginti octo, add. Blum. Process. Cam. tit. 45. n. 20. 21. Speid. h. voc. 30. munerat. qui tamen non sunt extendendi vid. R. I. anno 1570. §. und nachdem uns 71. Capit. Leop. Art. 18. Wehn. O. P. voc. Ehehafften circa fin. Oritur autem hîc quæstio, an privilegia etiam contra Ehehafften concedi possint? De qua vid. Wehn. d. l. D. Maurit. d. l. c. 2. th. 11. Speid. h. voc. verb privilegiati, ubi affirmativè concludit. Deinde ratione causarum ge-

Quoad Causas.

neralis

neralis est hujus Dicasterii Jurisdictio intra descriptum territorium; sic enim legitur in Reform. Rotwilens. P. 2. tit. 5. Daß solches über alle die/ so in bestimten Unsers Käyserlichen Hoffgerichts Bezirck gesessen/ Ordinariam Jurisdictionem empfangen / und dieselbe **in allen und jeden Sachen** gegen männiglich exercirt. Unde colligitur, causas tam civiles, quàm criminales hûc pertinere; item non duntaxat quæ sunt Jurisdictionis contentiosæ, verùm etiam voluntariæ, ut Tutorum curatorúmque dationes & confirmationes, pacta dotalia, donationes propter nuptias, cessiones, Testamenta, nimirum insinuanda vel confirmanda, Instrumentorum explicationes, alienationes rerum minorum &c. vid. d. Refor. P. 2. tit. 26. D. Maurit. d. diss. c. 3. th. 1. 2. Speid. d. l.

TH. IV.

Appellatio à sententia in hoc Tribunali lata.

QUamquàm autem Rotwilense Judicium Imperatorem repræsentet, appellatio tamen ab eo non solùm ad Aulam Cæsaream, sed etiam ad Cameram Imperialem conceditur vid. R. I. anno 1570. §. und nachdem Uns vorkommen 71. Capit. Leop. Art. 18. ibi nechst dem einem jeden gravirten freystehen soll / von mehrerwehntem Hoffgericht entweder ad Aulam Cæsaream, oder auff Käyserlich und des Reichs Cammer-Gericht zu Speyer/ ohne einige Unsere Widerrede oder Hinderung zu appelliren. Præjudicia allegat Gail. 1. obs. 40. n. 2. seqq. & Wehn. Tom. 6. Symph. c. 8. §. 2. Existimat autem Wehn. Obs. Pract. voc. Rothweilisch Hoffgericht/ quòd in casibus, quibus vel propter denegatam ac protractam Justitiam, vel nullitatem admissam, vel judicis recusationem, vel aliam causam citra appellationem ad superiorem revolvitur cognitio, ab hoc Dicasterio non Camera, sed Im-

perator duntaxat adeundus sit, quia ei in isto districtu omnis Jurisdictio soli reservata sit, add. Blum. Proc. Cam. Tit. 45. §. 22. Denique de hujus Tribunalis abolitione, quibus ex causis ea subinde à Statibus petita, à Cæsare hactenus protracta, & ulteriori cognitioni & inquisitioni reservata, & quæ contra eã, ac pro jure suo defendendo à Comite Sulzensi & Civitate Rotwilensi in Comitiis proposita sint, vid. Instr. Pac. Art. V. §. 20. v. 55. Capit. Leop. Art. 18. Schütz de St. R. R. Vol. II. Ex. 2. th. 8. ibique Addit.

SECTIO VII. *continens Tribunal seu Judicium Cæsareo-Provinciale Burggraviatus Norimbergensis, & in fin. reliqua Judicia Imperii particularia seu subalterna remissivè.*

TH. I.

Sisto nunc in hac classe [III.] Judicium Cæsareo-Provinciale Burggraviatus Norimbergensis, quod quidem propter excellentem ejus Jurisdictionem omnibus aliis in Imperii Provincialibus seu particularibus Judiciis proponi meretur, vid. Speid. voc. Land-Gericht ibi: inter Judicia Provincialia, quæ adhuc in usu, præcipua sunt Onoldense in Franconia &c. Et quia de hoc apud Authores aut nihil, aut parum [habet enim quædam Limn. Tom. IV. J. P. in Addit. ad L. 5. c. 7.] reperitur, non piget, quædam bonâ fide communicare. Originem igitur, & quomodo Serenissima Domus Brandenburgica id acquisiverit, quod attinet, hæc habeto. Postquam illustris Familia Comitum à Vohlburg Anno 1272. in Heinrico, qui ultimus hujus Gentis, & tum temporis Burg-

Origo, & quomodo ac quando hoc Tribunal ad Serenissimam

Burggravius Norimbergensis erat, ac dicto Judicio Burggraviatus Norimbergensis vice Imperatoris, titulô feudali, haud tamen hæreditariô, præsidebat, exspirasset: Imperator Rudolphus I. seu Habspurgicus anno 1273. 8. Octobr. Illustri Comiti Zollerano Friderico, consanguineo suo, non solùm Burggraviatum Norimbergensem universum, cum omnibus pertinentiis & dependentiis, sed etiam in specie Judicium hoc Provinciale ita in feudum perpetuum tradidit, ut ipse & omnes ejus legitimi hæredes, horumque descendentes masculinæ, imò fortè etiam fœmininæ stirpis, si literis Investituræ apud Limn. extantibus fides habenda, scilicet hærede masculo prorsus deficiente, qui aliàs omnibus aliis præfertur, dicto Judicio in æternum, vice Imperatoriæ Majestatis, præsidere, & omne Judicium judicare debeant, ac insuper ipsi omnia feuda, quæ jam tum ab Imperatoribus tenebat, confirmavit, cum Burggraviatu univit, atque ita universalem & illimitatam in toto Imperio & Burggraviatu, tam in civilibus, quàm criminalibus, jurisdictionem concessit, juxta Investituræ, quam exhibet Limn. Tom. IV. J. P. in Addit. ad L. V. c. 7. n. 10. ab Imperatore Rudolpho I. Aquisgrani factæ, & desuper anno 1280. traditæ Bullæ aureæ, ac denique anno 1300. ac Imperatore Alberto I. prope Argentoratum insecutæ Confirmationis tenorem. Dubitat quidem Limn. d. l. utrum dicta Investitura Friderico facta, prima fuerit? sed forsan in eo hæret scrupulus, quod reperiit, Comites Zolleranos etiam ante id tempus, florente adhuc Familiâ Vohlburgensi interdum huic judicio præsedisse. Interim tamen videtur, quòd id duntaxat tanquam Vicarii Imperatoris temporarii, non verò perpetui fecerint, uti etiam Limn. in Add. ad d. l. se ipsum corrigit, communemque opinionem probat. Ex illo igitur tempore Friderici descen-

Domum Brandenburgicam pervenerit.

descendentes Marchiones & Burggravii Brandenburgici huic Judicio ipsimet præsederunt, ac concessam Jurisdictionem quietè non solùm in toto Burggraviatu, sed etiam in aliis Regionibus & Provinciis, præprimis in quatuor Imperii Circulis, Suevico, Franconico, Bavarico, & Rhenano, tam in immediatos, quàm mediatos indistinctè exercuerunt. Quamvis enim à Friderico, hujus Familiæ Electore Brandenburgico primo, nonnulla ad Burggraviatum pertinentia in Civitatem Norimbergensem emtionis titulo cum consensu Sigismundi Imperatoris translata fuerint: reservavit tamen sibi suisque hæredibus non modò Judicium Burggraviatus Provinciale, sed etiam feuda secularia & ecclesiastica aliaque Jura vid. Limn. Tom. II. J. P. L. V. c. 7. n. 12. ibique Addit. Tom. IV. Cum verò, incidentibus belli tumultibus, hoc Judicium, ut leges inter arma silere solent, & ipsum siluerit, ac aliquantisper interquieverit: Imperator Fridericus III. Anno 1488. propriô motu Burggraviis illud restaurare, pristinoque suo vigori restituere mandavit, ac prætereà omnibus Imperii Statibus seriò injunxit, ne impedimento essent, quòminus hoc judicium ad antiquum exercitium revocaretur: Mandati literas utrasque vid. apud Limn. Tom. IV. in Addit. d. l.

TH. II.

Personæ. PErsonæ hujus Tribunalis sunt [1.] Judex, der Landrichter/ de quo munere jam dictum, quòd olim Burggravius ipse huic Judicio præsidere adstrictus fuerit. Cum verò hoc ipsis, utpote aliis gravioribus negotiis implicitis, grave, imò interdum impossibile fuerit, Anno 1355. à Carolo IV. Romæ, & postmodùm etiam à Sigismundo Imperatore, ex speciali concessione obtinuerunt, daß/ wann der Burggraff/ oder seine Erben nicht selbst dieses Gericht besitzen wollen oder können/ sie macht haben/ es

durch

durch Rittermässige Personen / wie der Richter in des Käysers Hoffgericht ist/versehen zu lassen. Quod etiam hactenus observatum, ita tamen, ut superiori adhuc seculo Marchiones & Burggravii ipsi interdum in Judicii splendorem, & pristinæ observantiæ memoriam præsederint. [II.] Assessores, iique vel Ordinarii, vel Extraordinarii. Ordinarii sunt quatuor literati, & plerùmque honoribus Doctoralibus insigniti, qui cum Judice audientias celebrant, processus dirigunt, ac soli re- & correferunt. Extraordinarii verò sunt, qui tantùm ad sententias definitivas concipiendas adhibentur. Possunt tamen partes, si velint, his solemnibus renunciare, & causæ decisionem Judici & Assessoribus Ordinariis committere. Mittuntur verò ad tales solennes actus, hohen Landgerichten / ab utraque Serenissima Domo, Baruthina & Onoldina sigillatim duo, ac ita ab ambabus simul quatuor Consiliarii Equestris Ordinis, qui cum Commendatore Illustr. & Celeberrimi Ordinis Teutonici, cui primum votum hactenus competit, alterum scamnum constituunt. Et à Civitate Norimbergensi vi Transactionis Harrensis duo Senatores Patricii & quidem suis sumtibus, qui per septimanam, quâ sententiæ per majora feruntur, & publicantur, ibi commorari debent. Sedent hi posteriores in scamno à reliquis separato, adeòque tertio, habentque secundum & quartum votum. Judex denique ultimum votum dat, quô etiam in casu paritatis, majora, semper verò conclusum facit. Illud autem hîc addendum, quòd ante bellum istud atrocissimum, quod totam Germaniam cum finitimis regionibus vastavit, omnibusque Judiciis diuturnum justitium indixit, & tricenale vulgò vocatur, Ordo quoque Teutonicus continuò ad hoc judicium itidem propriis sumtibus miserit Commendatores suos zu Ellingen

und

und Birnsperg alternatim, tanquam Assessores, ut ex subjecto Catalogo apparet:

Wegen des hochlöbl. Teutschen Ordens haben an hohen Landgerichten beygesessen:

Hercules von Berlichingen / Commenthur zu Virnsperg:
Philipp von Wassen/Commenthur zu Ellingen:
Johann Achatius von Westernach / Commenthur zu Virnsperg:
Johann Philipp Schütz von Holtzhausen/Comminenthurs-Verweser zu Ellingen:
Adam von Clingen/Commenthur zu Virnsperg:
Ulrich von Weydlingen / Commenthur zu Ellingen:
Johann von Hardt/Commenthur zu Virnsperg:
Hanß Georg von Reinstein/Commenthur zu Ellingen:
Hanß Adam von Freyberg/Commenthur zu Ellingen:
Hanß Melchior Heller von Schlaiten / Commenthur zu Ellingen:
Hanß Caspar von Stein zu Ellingen:
Johann Conrad Schützbar/genant Milchling/Commenthur zu Virnsperg:
Hanß Gebhard von Memmingen / Commenthur zu Ellingen:
Ferdinand/Freyherr zu Thoring/Stein und Pattenstein/Commenthur zu Virnsperg:
Bernhard Bartus von Freyburg / Commenthur zu Ellingen:
Bernhard Wilhelm von Schwalbach / Commenthur zu Ellingen:
Hanß Jacob von Aitmanshausen / Commenthur zu Ellingen:

Sixt Bernhard Werner von Holdingen / Commenthur zu Ellingen.
Eberhard von Karpffen / Comment. zu Virnsperg.
Wilhelm von Bubenhofen / Ritter / Commenthur zu Virnsperg:
Hanß Paulus von Flaxlanden / Comm. zu Ellingen.
Georg Wilhelm von Elwershausen / Commenthur zu Ellingen:
Joh. Rudolph von Buseck / Commenthur zu Ellingen:
Wilhelm Michael Schlitterer von Lachen / Comment. zu Virnsperg:
Johann Joachim von Eyb / Commenthur zu Ellingen:
Ulrich Freyherr zu Wolckenstein / Herr uff Trostburg / Commenthur zu Virnsperg:
Hanß Wolff von Bartenheim / Comm. zu Ellingen:
Philpp Freyherr zu Grafeneck / Commenthur zu Ellingen. Anno 1630.

Quod posteà quidē aliquandiu neglectū esse puto, quantùm tamen mihi constat, Illustr. ac Celeberrimus Ordo Teutonicus Judicio Provinciali hac in re nunquam contradixit, neque se ad id obligatum esse negavit. Et hæ sunt personæ Judicii Principales: reliquas impræsentiarum omitto, brevitati studens.

TH. III.

Jurisdictio nunc hujus Tribunalis consideranda venit; De qua quidem ex jam dictis aliquatenus constare potest. Nimirum competit [I.] Marchionibus Brandenburgicis tanquam Burggraviis Norimbergensibus vigore primæ Investituræ, & eam secutarum confirmationum Imperatoriarum in toto Imperio, imprimis verò supra nominatis quatuor Circulis, non solùm in mediatè Imperio subjectos, & inferioris conditionis homines, sed etiam *Jurisdictio.*

in Status & illos, qui immediatè Imperio subjecti sunt, tam in Civilibus, quàm Criminalibus universalis & illimitata Jurisdictio. [II.] In eo consistit hujus Tribunalis prærogativa, quòd miserorum reorum asylum sit. Quando enim talis aliquis delinquens & reus cujuscunque criminis, antequam in manus Judicis ordinarii inciderit, ad hoc Judicium confugit, ibique ita liber adhuc scamnum apprehendit, tantum abest, ut inde avelli vel extrahi à quopiam possit, ut potiùs Advocatus ei ex officio datus, ab Judicio salvum conductum pro ipso petat, &, si is decernitur, eundem postmodum defendat. Præstat autem talis delinquens, qui Inzichter vocatur, accusatori suo cautionem vel fidejussoriam, vel pigneratitiam de damno & expensis juxta taxationem Judicis refundendis. Quô factô, per pedellum Judicii proclama, tum in loco domicilii delinquentis, tum delicti perpetrati, affigitur, per quod Judici Ordinario omnis incarceratio, vel ulterior processus adversus delinquentem interdicitur. Si igitur reus suam innocentiam probaverit, absolvitur, sin verò secus, salvus conductus rescinditur, & ipse ordinario Judici puniendus remittitur. [III.] Quòd omnis diffamatus, & quicunque alicujus delicti argutus se purgare, adeoque pœnâ à Judice ordinario imminente liberare vult, diffamatorem, undecunque ille ex toto Imperio sit, in hoc Judicio regulariter convenire, & actionem contra illum instituere possit. Et hanc Jurisdictionem diu quietè & cum singulari Serenissimæ Domus splendore Marchiones & Burggravii Brandenburgici exercuerunt, uti hæc omnia multis & notabilibus præjudiciis probari possent, si desideretur. Postquàm verò bellorum tumultibus Justitiæ cursus impediebatur, & Camera etiam Imperialis instituebatur, Status, & Civitates Imperiales, ut & Nobilitas Imperii Libera, se

hujus

hujus Tribunalis Jurisdictioni eximere,& contra eandem privilegia impetrare cœperunt. Sed,, his non obstantibus,Marchiones & Burggravii hac de re apud Imperatores conquesti,primam Judicii fundationem, & privilegia postmodùm desuper cum clausulis cassatoriis & derogatoriis obtenta producentes, impetrârunt, ut non solùm Sigismundus Anno 1417. ac Fridericus anno 1457. & anno 1456. sed etiam Carolus V. Imperator anno 1521. privilegia,in contrarium à nonnullis obtenta,tanquam sub- & obreptitia,revocaverint,& sustulerint, ut ex ipsarum literarum tenore liquet,quas exhibet Limn. J.P. Tom. IV. in Addit. ad L. V. c. 7. n. 12. Quod cùm viderent ejusmodi Status, amicabiliter de hac re cum Dominis Burggraviis transigere conati sunt. Et hâc etiam ratione Duces Bavariæ subditos suos in Palatinatu superiori & Inferiori & Ducatu Bavariæ &c. hujus Tribunalis Jurisdictioni prorsus exemerunt: Alii verò, ut Episcopus Bambergensis, & Eystattensis, & nonnullæ civitates, certas tantùm limitationes & restrictiones obtinuerunt, ut hæc omnia prolixè & sigillatim adduci possent, si vacaret. Interim tamen hoc ex dictis sequitur, quòd Marchiones & Burggravii Brandenburgici in omnes illos, quibuscum amicabiliter conventum non est, illimitatam & universalem etiamnum habeant Jurisdictionem. Illud etiam quoad Civitatem Norimbergensem notari meretur,quòd ex hoc potissimùm fundamento Jurisdictionis Judicii Provincialis Burggraviatus Norimbergensis, ac super eandem inita Transactione Harrensi,vi cujus omnes dictæ Civitatis subditi,extra urbis mœnia constituti,in Realibus in hoc judicio stare tenentur, causa illa gravissima inter Serenissimos Marchiones Brandenburgicos & Civitatem Norimbergensem agitata, die Freyschliche Obrigkeit betref-

fend / tam in Camera, quàm in Judicio Revisorio pro Brandenburg decisa fuerit, ut videre licet apud D. Gylm. Symphor. Tom. I. P. 3. Vot. 23. & D. Ioh. Thilmann. de Benign. Decision. Cam. Imp. Syntagm. II. Dec. 4. Vot. 3.

TH. IV.

Processus Judiciarius.

PRocessus olim in hoc Judicio duplex erat. Omnes enim causæ vel per Duellum, durch das Kampff-oder Kolben-Gericht / vel per legitimam causæ cognitionem & deductionem expediebantur. Si actor priorem viam eligebat, & cautionem Duello sisti præstabat, reus legitimè citabatur, tempus & locus determinabatur, conflictus præsente Judice iniebatur, & pro victore sententia ferebatur. Regulas & solennia, quæ in hoc processu observari solebant, vid. in der Kampff-Gerichts Ordnung / quam etiam habet Limn. d. l. quò lectorem remitto. Locus, in quo dimicabatur, erat prope vicum Fürth / non longè Norimbergâ dissitum, cujus incolæ quoque eum propriis sumtibus munire, & omnes subditi, absque ulla Dominorum distinctione, intra milliare circumcirca habitantes ibi ad Judicis nutum armati comparere tenebantur. Qui quidẽ modus administrandæ justitiæ, cujus alioquin vestigia in Jure quoque feudali, & nominatim in 2. f. 39. v. non est consuetudo: occurrunt, &, unde is initium sumserit, tradit Cardan. Lib. 3. de Utilit. ex advers. cap. de Injur. pag. 584. exolevit, ad ductum Juris Canonici in c. 1. & 2. de purg. vulg. c. monomachiam 22. c. 2. quæst. 5. jura tamen inde dependentia Judicio etiamnum salva manent. Quod ad alterum procedendi modum, legitimam nimirum causæ in judicio tractationem & deductionem, sciendum, quòd hodiè processus in Camera usitatus in hoc quoque Tribunali, quantùm fieri potest, observetur, ideòque de eo dicere supervacaneum erit. De contumacia

autem

autem notandum, quòd contra contumaces, sive ad citationem, sive in progressu litis, sive in executione tales fuerint, ad pœnam Banni procedere frequens fuerit. Formula talis sententiæ, quæ, adhibitis certis solennitatibus, à Judice, prælegente Secretario, pronunciabatur, hæc habetur: Jch nimm N. N. und sein Recht aigen und Lehen/ und setze das aigen in des Reichs Cammer/ und das Lehen dem Lehenherrn/ von dene oder deme sie zu Lehen rühren; Jch verkündige auch sein Weib zu einer Wittwen/seine Kinder zu Wäisen/und theile seinen Leib frey den Vögeln in den Lüfften/den Thieren in den Feldern/ den Fischen in den Wassern/und setze ihn von allen Rechten in das Unrecht/und nimm ihn aus dem Fried/ und setze ihn in den Unfried allermänniglichen/daß niemand an ihme gefrevelt hat/der ihn angreifft/von Klag wegen etc. Quæ sententia eundem effectum habere debet, ac si in Aula vel Camera lata esset, juxta privilegium à Carolo V. Anno 1521. d. 20. Mart. Wormatiæ datum.

TH. V.

Appellatio à sententia in hoc Tribunali lata.

LAta denique sententia interdum per Appellationem suspenditur; quæ quidem ab hoc Judicio ad suprema Imperii Tribunalia eatenus locum habet, quatenus privilegia Marchionibus & Burggraviis Brandenburgicis concessa non obstant. Ea verò in sequentibus consistunt: [I.] quòd summa appellabilis, quæ à Maximiliano 100. & Carolo V. 400. florenorum Rhenanorum constituta erat, hodie sit 800. Flor. Rhen. [II.] quòd in causis von Freveln/ Schmähsachen/ Leibes Schäden/ Lähmung/und fliessenden Wunden prorsus non appelletur. [III.] quòd, quando summa & causa appellabilis est, apud Judicem à quo ein Gülden deponi, & ibidem juramentum Calumniæ præstari debeat. [IV.] Quòd omnes, qui

ad Judicium accedunt, vel recedunt, securitate publicâ & salvô conductu gaudeant vid. Privil. Caroli V. anno 1541. d. 23. Jul. Ratisbonæ, & Ferdinandi II. Imperatoris Anno 1627. d. 29. Dec. Pragæ datum.

TH. VI.

Locus.

REstat de hujus Tribunalis sede dicere. Et quidem antiquis temporibus illud Norimbergæ habitum, privilegiô verò Friderici III. concessum fuit Alberto Marchioni Brandenburgico, ejusque hæredibus, ut etiam extra civitatem alibi in Burggraviatu, vel etiam in aliis ad eosdem Marchiones pertinentibus locis haberi, exercerique possit. Hodie sedem suam fixam Onoldi tenet, ubi Domus sat splendida ad id exstructa cernitur.

TH. VII.

Reliqua Imperii Tribunalia Particularia seu Provincialia remissivè.

AD hoc divisionis supra datæ membrum plura quidem Imperii Judicia Provincialia pertinent, sed ne supra modum & ultra intentionem prolixus sim, neve propter defectum certæ informationis falsa, aut saltem periculosa, mixta veris tradam, reliqua summo tantùm digito attingam. Videri igitur possunt [I.] de Judicio Cæsareo-Provinciali Sueviæ, Land-Gericht in Ober und Nieder Schwaben/ Speid. voc. Land-Gericht/ Wehn. Symph. Gylmann. Tom. VI. c. 8. §. 10. & c. 2. §. 1. ubi tractatur quæstio potissima, an ab hoc Judicio ad Cameram appellari possit? Andr. Christ. Schneider de processu Juris Judicii Provincialis Sueviæ. [II.] De Judicio Provinciali Hagenoæ, vulgò auff der Lauben / quod itidem jus de non appellando prætendit, Wehn. d. Tom. VI. 8. §. 7. [III.] de Judicio Westphalico, Westphalisch Frey-Gericht oder Heimlich Gericht/ Wehn. Obs. Pract. voc. Westphalisch Frey-Gericht/ & idem d. Tom. VI. c. 8. §. 3. D. Er. Maurit. Diss. de Jud. Rotw. c. 1. th. 3. seqq. Denique de summo Tri-

Tribunali Regio Wismariæ, quod quidem hûc non pertinet, & prorsus singulare est vid. infr. Sect. VIII. th. 5. circ. fin.

SECTIO VIII. *continens generaliter, quomodo Status Imperii intra sua Territoria Justitiam administrent?*

TH. I.

DE Tribunalibus, quæ huc usque dicta sunt, Imperium quà totum & simul sumtum spectant. Quia verò ea est nostræ Reipubl. ratio, ut simplici hâc consideratione haud absolvatur, sed duplicem respectum involvat, unum quatenus, ut dictum, totum aliquod, & unam quandam constituit Civitatem, ex Imperatore, tanquam Capite, & Statibus, tanquam membris, constantem; alterum quatenus plures & particulares quasi Respublicas, inter Imperii Ordines divisas, comprehēdit: ideò dicta haud quidem sufficient, sed videndum prætereà erit, quomodo à Statibus quoque intra sua Territoria sacra Justitiæ administratio fiat? Antequam autem ulterius progrediar, & in ipsum jurisdictionis fontem, vi cujus Status in suis Territoriis Judicia exercent, inquiram, offert sese famosa illa, & inter omnes ferè Politicos multùm agitata quæstio, quænam sit Imperii Romano-Germanici forma? Et quamquam ea ubique ad nauseam usque tractetur, variè tamen à variis deciditur. Sic alii Imperium Monarchicum, alii Aristocraticum, alii ex utroque mixtum, alii Irregulare & Monstrosum, alii denique Reipubl. confœderatæ

Duplex Imperii Consideratio.

Imperii forma qualis?

deratæ

deratæ speciem constituunt, vid. Reink. de Reg. Sec. & Eccl. L. 1. clas. 2. c. 2. per tot. Hippolit. à Lapide Tract. de Rat. Stat. Imp. Tract. de Republ. Monstrosa &c. Sed ne in vocabulis lusus sit, relictô nomine, rem ipsam investigare juvabit. Illud igitur ex Legibus Imperii fundamentalibus, & ipsa experientia clarum est, quòd Proceres & Status Imperii in consortium quasi Potestatis ac Majestatis, quod ad totius Imperii administrationem, recepti sint. Patet id vel ex ipsa Comitiorum serie, ubi præsidet Imperator velut Numen in cœlis, cui assident Electores, & undique circumsident tot ArchiEpiscopi, Episcopi, tot ArchiDuces, Duces, Principes, Comites, tot Proceres & Magnates. Unde in Recessibus Imperii hæc clausula passim conspicitur adjecta: Haben Wir uns mit den Ständen/ und sie sich hinwiederum mit Uns verglichen/ vid. R. I. anno 1570. §. als Wir dann 66. R. I. anno 1654. §. so haben Wir um 8. & §. nachdem auch 178. textum si desideras, nullum fortè clariorem & expressiorem in toto Jure publico invenies, quam in Instr. Pac. Art. 8. §. 2. ibi: *gaudeant*, de Statibus Imperii sermo est, *sine contradictione jure suffragii in omnibus deliberationibus super negotiis Imperii, præsertim ubi leges ferendæ, vel interpretandæ, bellum decernendum, tributa indicenda, delectus aut hospitationes militum instituendæ, nova munimenta intra Statuum ditiones extruenda nomine publico, veterave firmanda præsidiis, nec non ubi pax aut fœdera facienda, aliave ejusmodi negotia peragenda fuerint, nihil horum aut quicquam simile posthac unquam fiat vel admittatur, nisi de Comitiali, liberoque omnium Imperii Statuum suffragio & consensu.* Alia adhuc est quæstio, quænam forma Imperio Romano-Germanico maximè conveniens, salutaris adeòque optanda esset? Ubi rursus in diversas partes temeraria nonnullorum vota &

ta & sententiæ abeunt. Sed quicquid in hac re ab audacibus hominibus speciosè etiam interdum dicatur, in hypothesi tamen & his rerum circumstantiis nec possibilis, nec optanda publici Status mutatio, qualisqualis illa fuerit; tum quia præsens Imperii Status tot Legibus fundamentalibus, Conventionibus, Transactionibus, Pacificationibus sacramentis firmatis, radicatus, & Germanorum genio & ingeniis satis conveniens est; tum quia ejusmodi mutatio absque acerrimis bellis intestinis & multô civium sanguine non tentari quidem, ne dicam obtineri posset, propter illud, quod inter Caput & membra intercedit, æquilibrium & mutuam retinentiam.

TH. II.

Superioritas Territorialis, eique annexa Regalia.

QUod autem dictum est, Proceres Imperii in consortium quasi Majestatis esse receptos, id tamen de sola Imperii administratione, quam unà cum Cæsare habent, inque Comitiis exercent, non etiam de Iure Superioritatis vel Territorii, quod in Provinciis suis tenent, & ab Imperatore ac Imperio recognoscunt, intelligendum. Est enim duplex Statuum Imperii jus; aliud concernit administrationem totius Reipub. cum Imperatore; aliud consistit in personis ac rebus ditionum, quas ut Provinciarum ac locorum certorũ Domini ac Possessores obtinent vid. D. Christ. Ming. de Superior. Terr. Proœ. §. 4. Et hæc Superioritas Territorialis describitur, quòd sit jus & Potestas summi, post Imperatorem, Imperii & dominatus, eique connexorum Regalium sub nomine & qualitate Lands hoher Obrigkeit regulariter in omnes territoriô inclusos, competens vid. Reink. de R. S. & E. L. 1. clas. 5. c. 3. n. 3. Instr. Pac. Art. 8. §. 1. ibi: *ne posthac in Statu publico controversiæ suboriantur, omnes & singuli Electores, Principes & Status Imperii in antiquis suis juribus, prærogativis, liberta-*

 te,

te, privilegiis, libero juris Territorialis tam in Ecclesiasticis, quàm Politicis exercitio, ditionibus, regalibus, horumque omnium possessione vigore hujus Transactionis ita stabiliti, firmatique sunto, ut à nullo unquam sub quocunque prætextu turbari possint vel debeant: add. §. 2. circa fin. verb. *cumprimis verò jus faciendi inter se & cum exteris fœdera, pro sua cujusque conservatione ac securitate, singulis Statibus perpetuò liberum esto, ita tamen, ne ejusmodi fœdera sint contra Imperatorem & Imperium pacemque ejus publicam, vel hanc imprimis transactionem, fiantque salvô per omnia juramentô, quo quisque Imperatori & Imperio obstrictus est.* Atque hinc patet, quàm frustra fuerint, qui hanc Statuum Majestaticam seu Majestati analogam potestatem ex Prætoris, Proconsulis vel alius Magistratus in veteri Republ. Romana jurisdictione, quæ ipsis vi officii competebat, dimensi sunt vid. Lamp. de Republ. Rom. Germ. P. 3. c. 15.

§. 4. Promanavit èx hac potestate commune illud axioma, quòd Status Imperii in suis Territoriis Imperatorem repræsentent, idemque possint, quod Imperator in Imperio, quod tamen non ita crudè & nudè exaudiendum esse, accuratiores passim admonent vid. Lamp. de R. R. G. P. 3. §. 20. Carpz. de Leg. Reg. c. 1. sect. 13. Habet autem Superioritas hæc Territorialis, tanquam totum aliquod potestativum, varias suas partes seu potestates, quas vulgò Regalia vocant, & in Majora, quæ gubernationem & Statum ipsum Territorii concernunt, & minora, quæ sunt commoda & emolumenta, quæ ex bonis publicis vel aliàs ratione Territorii percipiuntur, dividunt. De qua divisione, utrum ea Magistralis & satis conveniens sit, nunc non disputo. Enumerantur & explicantur hæc Regalia ab omnibus Juris publici Doctoribus, mihi impræsentiarum

rum non licet excurrere, sed contentus iis, quæ scopum meum attingunt, cætera linquo.

TH. III.

DUo verò imprimis sunt, quæ Statuum jurisdictionem & Judicia intra sua Territoria fundant, nimirum [1.] potestas leges ferendi, ac dispensandi, & [2.] potestas judicandi de causis tam ecclesiasticis, quàm secularibus vid. Policey Ordn. anno 1577. tit. Von Juden und ihrem Wucher 20. §. fin. Priorem igitur quod concernit, vi illius Status Imperii leges Provinciales, Lands-Ordnung/ Land-Recht / condunt dict. text. add. Wurmſ. Ex. jur. publ. 7. quæst. 15. etiam juri communi contrarias. Moribus autem obtinuit, ut in Conventibus Provincialibus consiliô & consensu Procerum, der Land-Stände / id fiat vid. Philipp. l. 1. Ecl 9. ubi adducit præfationes jurium Provincialium in Saxonia, quæ hoc egregiè confirmant, add. Limn. Tom. II. L. IV. c. 8. n. 255. Pariter ut olim Imperatores in l. humanum 8. C. de LL. rescripserunt, *non aliter legem à sua clementia processuram, nisi tam universis Iudicibus, quàm Patribus conscriptis placuerit, ut tum demum universorum consensus Imperatoriâ authoritate firmetur; benè enim*, inquiunt, *cognoscimus, quod cum vestro consilio fuerit Ordinatum, id ad beatitudinem nostri Imperii, & ad nostram gloriam redundare:* quamvis id necessarium non fuerit l. ult. C. d. t. Tanti autem postmodum valoris tales constitutiones sunt, ut in Causarum decisione inter Provinciales Camera Imperialis secundùm eas judicare debeat vid. Ord. Cam. P. 1. tit. 57. nec obst. Käyserl. const. Wie Brüder- oder Schwester-Kinder etc. ibi: und damit; & ut derogent juri Communi Ord. Crim. Præf. circa fin. ibi doch wollen Wir. Illud tamen generale est, quòd Statuta & leges Provinciales strictam recipiant interpre-

Potestas Statuum Leges ferendi, ac dispensandi.

tationem, nec jus commune per eas correctum censeatur, nisi expresse pateat arg. l. 28. de R. I. in 6. l. 32. § fin. C. de Appell. Gail. 1. obs. 50. n. 7. 8. Quemadmodum autem Principibus competit Jus legum ferendarum, ita etiam jus easdem abrogandi, mutandi, extendendi, & restringendi vid. R. I anno 1654. §. Wie nun solches 106. in fin. Unde immunitates & privilegia concedere possunt vid. Limn. Tom. II. L. IV. c. 8. n. 267. seqq. quæ, si fuerint remuneratoria, revocari nequeunt, tàm quòd Principem constans & perpetua voluntas deceat, tum quòd hujusmodi privilegia naturam contractus induant, à quo nec Princeps recedere potest vid. Philipp. L. 1. Ecl. 14. Item dispensare ac pœnas etiam capitales remittere, quod vulgò jus aggratiandi vocant l. 4. l. 9. §. 11. l. 27. pr. ff. de pœn. l. 1. §. ult. ff. de quæst. t. t. ff. & C. de sent. poss. & rest. qui textus licet de summo Principe loquantur, hodiè tamen idem est in Duce, Marchione, Comite &c. qui omnes vigore Superioritatis Territorialis hanc potestatem habent, quatenus scilicet divini juris authoritas non refragatur vid. Christ. Ming. de Superior. Territ. c. 5. §. 74. Limn. Tom. II. L. 4. c. 8. n. 267. seqq. Reink. de R. S & E. L. 1. clas. 5. c. 6. n. 27. seqq. add. Grot. L. II. c. 20. n. 21. seqq. de J. B. & P. Exerit etiam sese potestas leges ferendi in rebus Ecclesiasticis & cura religionis. Consistunt autem actus Dominorum Territorialium ecclesiastici in cultu externo (internus enim pertinet ad Ecclesiæ Ministros) veluti in ordinatione circa cultum divinum, jure reformandi & prospiciendi, ut vera evigeat in Republ. religio, Ministrorum verbi divini constitutione, sustentatione, visitatione, inspectione, & aliis negotiis, de quibus vid. Instr. Pac. Art. V. per tot. & imprimis §. quantum deinde 12. v. 29. 30. Diss. de Pac. Relig. Petr. Syring. Christ. Ming. de Super.

Territ.

Territ. c. 5. § 60. seqq. D. Joh. Norderm. de Jur. Princip. concl. 25. seqq. D. Laur. Ohm de Jur. Episcop. D. Struv. Synt. Jur. Feud. c. 6. aph. 15.

TH. IV.

VEnio nunc ad rem ipsam, potestatem nimirum judicandi de omnibus causis, tam ecclesiasticis, quàm secularibus, tam meri, quàm mixti Imperii inter subditos oriundis. Potestas enim leges ferendi involvit insimul secundùm eas judicandi facultatem, quæ æquè ac illa Superioritati Territoriali connexa, & præcipuus ejus effectus est. Sic in 2. f. 56. inter Regalia refertur potestas constituendorum Magistratuum ad justitiam expediendam: Et in Constitutionibus Imperii passim provisum, ne mediatè Imperio subjecti à suis Judiciis ordinariis avocentur, neve in prima instantia vel aliàs contra Privilegia Statuum in Supremis Tribunalibus citationes decernantur, decretæ verò ipsô jure nullæ declarentur vid. Ord. Cam. P. 1. tit. 1. Capit. Cæs. Leop. Art. 18. Habent igitur Status Imperii pro diversitate & amplitudine Territoriorum non solùm suas Cancellarias, sed etiam Dicasteria Provincialia, ubi ipsorum nomine jus redditur, eaque; prout consultum ipsis videtur, viris eruditis, & salutaribus ordinationibus, Cantzley Ordnungen / Hoffgerichts Ordnungen / instruunt. Imò in Divisione Territoriorum interdum contingit, ut duo, pluresve Principes, sicut alia jura communia & indivisa retinent, ita etiam commune aliquod Judicium, Sambt oder Gemeinschafftlich Gericht / constituant, quod ab ipsis simul dependet, & sustentatur, ac in quo Landsassiis atque subditis eorum indistinctè jus redditur. Quale etiam Serenissimi Landgravii Hassiæ utriusque Cassellanæ, & Darmstadinæ lineæ habent constitutum Marburgi, das Fürstliche Hessische Sambt Hoff- und

Potestas judicandi de causis tam ecclesiasticis, quàm politicis.

Revisions-Gericht zu Marburg / cujus prostat Ordinatio typis excusa, unde plenior dicti Judicii notitia hauriri, Privilegiorum verò tenor videri potest infra th. seq. Monentur ideò etiam Status, ut Justitiæ administrationi prospiciant, ac sedulam operam dent, ut Judicia eorum benè constituta sint vid. Ord. Cam. P. I. tit. 1. §. 1. ibi: Doch sollen daneben alle und jede Geistliche und Weltliche Obrigkeiten ein gebührliches Einsehens thun und verschaffen / daß die Mißbräuche und Unordnung der Geistlichen und Weltlichen Gerichten abgestellt / an denselben / vermög gemeiner Rechten / ordentlich und formlich gehandelt / und procediret werde / und je eines das andere bey seinem Proceß und Lauff bleiben lassen / allerhand Unrath / Widerwillen / Unwesen / auch Nichtigkeit des Proceß / so darauß erwachsen / damit fürzukommen: add. R. I. anno 1654. §. Wie aber zu verhüten 108. cum seq. ubi etiam tàm ipsi Status Imperii hac in re negligentes, quàm eorum Judices & Magistratus vel culpam, vel dolum in pronunciando committentes multari jubentur, quoties in Camera Imperiali ex actis prioris instantiæ hujusmodi nævi circa justitiæ administrationem apparebunt, add. Blum. Sent. Cam. 983.

TH. V.

Causarum Distinctio.

OMnes autem causæ, quæ sive immediatè in Principum Aulis, & Cancellariis, sive in Curiis Provincialibus, unde postmodum ad ipsum Principem provocare licet, ventilantur, sunt, juxta divisionem etiam supra in summis Tribunalibus adhibitam, vel civiles, vel criminales vel spirituales. Hæ igitur causæ, inter mediatè Imperio subjectos agitandæ, regulariter omnes quoad primam instantiam necessariò in ordinariis suis Judiciis tractari debent, nec ab Imperatore, nec à Camera avocari possunt vid.

Ord. Cam. P. 2. tit. 2. confr. ſupra Trib. Cam. Sect. IV. th. 4. ubi etiam adduxi exceptiones. Quod verò provocationem & appellationem attinet, cauſæ juxta traditam diviſionem diſcernendæ ſunt. In civilibus, (quibus hic etiam annumero feudales, quæ tamen multa ſingularia habent, quæ in præſenti adducere, inſtituti ratio non patitur, ac ideò de hac re addi debent Doctores juris feudalis ac nominatim Struv. Synt. J. F. c. ult. aph. 4 ſeqq.) hæc regula conſtitui poteſt: quòd provocatio ad Judicia Imperii ſuprema ſemper locum habeat, ſi gradatim fiat vid. ſupra Sect. IV. Trib. Cam. th. 5. addi hic debet ex Ord. Cam. P. 2. tit. 28. quod ibi §. 2. caveatur, ne Status ſubditos ſuos vel minis, vel juramentô, vel pœnis vel aliô modô adſtringant, ne à ſuis ſententiis appellent, quia hoc contra jus & æquum, ac in Cameræ Jurisdictionis præjudicium fieret. Hæc verò regula tam firma non eſt, quin multas patiatur exceptiones, qualis eſt (1.) quando quis appellandi beneficio voluntariè renunciat, idque vel expreſsè vel tacitè fit vid. l. 40. ff. de pact. l. 28. C. de appell. l. fin. §. ult. C. de temp. appell. Ord. Cam. P. 2. tit. 28. §. 2. ſici Es wäre daß add. Roding. Pand. Cam. L. 1. tit. 30 §. 3. ibique comment. (2.) quando legitima appellationis cauſa deficit, quô caſu tam principales litigantes, quàm Advocati graviter puniuntur vid. Ord. Cam. P. 2. tit. 28. §. darzu dieweil 3. R. I. anno 1654. §. und nachdem 120. Roding. d. l. §. 7. ſeqq. (3.) in cauſis poſſeſſorii momentanei ſeu ſummariiſſimi l. un. C. ſi de moment. poſſ. fue. appell. add. Roding. Pand. Cam. L. 1. tit. 31. §. 4. (4.) quando ſumma non eſt appellabilis, de qua ſupra Sect. IV. Trib. Cam. §. 5. (5.) quando Statuum privilegia appellationem non admittunt. Hæc enim ſtrictè ſunt obſervanda, & ideò Index privilegiorum confici, & in Curia Camerali affigi jubetur R. I. anno 1654.

§ Drit-

Privilegia Statuum de non appellando.

§. Drittens sollen III. Sunt autem Ordinum privilegia de non appellando juxta d. §. III. vel duntaxat ad certam summam certasque causas restricta, vel indefinita & nullam prorsus appellationem concedentia. De prioribus notandum, quòd, quia summa appellabilis ordinaria nunc ad 400. Imperiales ascendit, etiam Imperii Electoribus & Statibus pro extensione suorum privilegiorum supplicantibus, à Cæsarea Majestate, à qua hæc & similia privilegia promanent, benigna resolutio promissa sit R. I. anno 1654. §. und stehet diesem nächst 115. Quod posteriora concernit, constat quidem, quòd per A. B. Art. II. tale privilegium de non appellando & evocando omnibus Electoribus sit concessum, id tamen hodiè non ab omnibus usurpatur, sed, præter Regem Bohemiæ, de quo A. B. particulariter & nim. Art. 8. agit, cavetque, ne ab eo appelletur vel subditi ejus ad forensia judicia evocentur add. Wehn. Symphor. Gylm. Tom. VI. c. 1. 4. duntaxat ab Electore Saxoniæ & Brandenburgico, quibus etiam illud subinde ab Imperatoribus renovatum est vid. Limn. J. P. Tom. I. L. 3. c. 10. n 37. & c. II. n. 10. Wehn. in adj. Tom. VI. ad Gylm. Symphor. c. 1. §. 6. & 7. Reink. de R. S. & E. L. 1. clas. 4. c. 6. ubi illud etiam observandum, quòd dictum privilegium Saxonis ad omnes Duces & universam Domum Saxonicam extendatur: Marchionum verò Brandenburgicorum hac in re Privilegia supra Sect. VII. Trib. Prov. Burgg. Norimb. th. 5. adducta sunt. Ob fractam tamen pacem publicam etiam hi Electores ac eorum subditi in Camera conveniri possunt vid. Limn. d. c. 10. n. 4. & d. c. II. n. ult. & Wehn. d. l. imò hæc privilegia supplicationis & nullitatis remedium non excludere putat Reink. d. l. n. 4. seqq. Gail. I. obs. 135. sed hoc nec ipsius privilegii tenor, nec ratio ejus inductiva videtur admitte-

re Limn. d. c. 10. n. 39. quoad nullitatem tamen Wehn. quamquàm ipse in contraria sententia sit, d. Tom. VI. c. 1. §. 6. ex Gylm. allegat aliquot præjudicia, quòd, non obstante privilegiô Saxonicô , in Camera Imperiali super nullitate actum sit, quod confirmat Carpz. de L. R. cap. 9. Sect. 7. & addit, quòd in hanc sententiam pronunciaverint quoque Elect. Sax. Scabini Lipsienses Anno 1620. 3. Octob. Et de his quidem duobus Electoribus, eorumque privilegiis testantur omnes Authores , sed iis hodie annumerandus videtur Elector Bavariæ, & Elector Palatinus Rheni; de illo refert Roding. Pand. Cam. L. 1. tit. 20. & D. Blum. Proc. Cam. tit. 47. tab. 1. gaudet, sunt verba dict. AA. privilegiô de non appellando, absque ullo reservato casu, juxta contenta privilegii Imperatoris Ferdinandi III. sub dato Prag den 28. Aug. an. 1638. allhier in Camera 21. Apr. confirmirt An. 1644. cum inserta pœna 100. Marck lötiges Goldes/ extensione auff die Ober-Pfaltz: Et de hoc iidem AA. gaudet privilegiô de non appellando illimitatô auff dero Chur- und Fürstenthum der untern Pfaltz und zugehörigen Landen/ vigore privilegii Imperatoris Ferdinandi III. de dato Prag den 17. Julii anno 1652. Ab reliquorum verò Electorum sententiis nihilominus non nisi ultra certam summam appellatio recipitur. Sunt & alii Imperii Status, à quorum sententiis planè non appellare licet, ut Archi-Dux Austriæ vid. Limn. Tom. II. J. P. L. 5. c. 2. n. 33. seqq. Wehn. in Gylm. Symphor. Tom. VI. c. 2. §. 1. ubi plura de hoc privilegio videre licet: Rex Sueciæ ratione Ducatus Bremensis, Verdensis, Pomeraniæ, Principatus Rugensis, & Dominatus Wismariensis, sed hoc ita, ut summum aliquod Tribunal seu appellationis instantiam in commodo Germaniæ loco constituat, ubi justitia secundùm Imperii constitutio-

tutiones,& cujusque loci statuta, absque ulteriori provocatione, administretur vid. Instr. Pac. Art. 10. §. deinde concedit 5. & hoc Tribunal reapse hodie est Wismariæ, ubi magnus ille David Mevius vices Præsidis gessit, qui etiam in Prodromo de Jurisdictione summi Tribunalis Regii ad suas Decisiones dict. text. Instr. Pac. per plura folia doctissimè, & admodùm nervosè explicavit, multaque insuper ex Ordinatione & observantia addidit, unde sufficientem dicti Tribunalis notitiam haurire licet. Gaudet etiam Rex Sueciæ ratione dictorum Territoriorum privilegiô electionis fori, ita tamen, ut intra tres menses à die denunciatæ litis se declaret, coram quo Judice se sistere velit: Instr. Pac. d Art. 10. & §. Item Dux Lotharingiæ, exceptis tantùm causis contributionem & pacem publicam concernentibus vid. d Gyl. Symphor. Tom. VI. c. 2. §. 3. Hûc etiam quodammodò pertinet Privilegium Serenissimorum Hassiæ Landgraviorum, id enim in sequentibus consistit [1.] quòd summa appellabilis hodiè sit 1000. florenorum in auro [2.] quòd, ubi summa appellabilis, appellans intra triginta dies à die latæ sententiæ coram judice à quo jurare debeat, summam excedere mille aureos, nec se calumniosè appellare, [3.] coram Judice à quo cautionem præstet fidejussoriam aut pignoratitiam, vel, si hoc nequeat, juratoriam, si verò perjurii suspicione laboret, causa esset gravis, & appellati tota fortuna inde penderet, corporali arresto detinebitur, [4.] NB. à causis, so von Hoffgericht ans Revision- oder Ober-Appellation-Gericht gebracht/ und die appellation daselbst erörtert würde/ prorsus non appelletur, doch allein im Fall beyde Theile in solch judicium revisorium consentirt hätte sive expressè, sive tacitè, sub pœna 100. marcarum auri puri vid. Käyserl. Appellations Privilegium, wie solches von weiland

land der R. K. M. Herrn Ferdinand dem Andern erstmahls den 19. Septemb. Anno 1631. auff die Fürstl. Hessen-Darmstadische Lini allein / und hernacher von weiland der R. K. M. Herrn Ferdinand dem Dritten gleichfalls auff die Fürstl. Hessen-Casselische Lini den 26. Aug. Anno 1650. allergnädigst ertheilt / auch extendirt und verbessert worden. Cæterùm reliquorum Statuum privilegia de non appellando, quia plurima & diversa sunt, non adduco, congessit ea Wehn. d. Tom. VI. Symphor. Gylm. & ex hoc D Roding. Pand. Cam. L. 1. tit. 20. D, Blum, Proc. Cam. tit. 47.

TH. VI.

HÆc de causis civilibus: In criminalibus contraria regula est formanda, & nimirum hæc: In causis & factis criminalibus, quibus pœna corpori infligenda, so Leibsstraff auf ihnen tragen / à Statuũ sententiis appellatio ex inveterata Germaniæ consuetudine nunquam conceditur vid. Ord. Cam. P. 2. tit. 28. §. item nachdem 5. Gail. 1. obs. 1. n. 27. seq. Exceptiones vid. supra Sect IV. Trib. Cam. th. 6. & apud Roding. Pand. Cam L. 1. tit. 31. §. 1. seqq. Denique in causis spiritualibus, quò etiam refero causas matrimoniales, distinguendum est inter Catholicos, & Augustanæ Confessioni addictos; Apud illos appellandum ad Judicem Ecclesiasticum, veluti ad Episcopum, ab Episcopo ad ArchiEpiscopum, ab ArchiEpiscopo ad Papam, vel ejus Nuncium c. anteriorum 28. c. 2. q. 6. c. placuit 35. eod. c. scitote cum seqq. c. 6. q. 3. R. I. anno 1654. §. als sich dann 164. ubi provisum, ne sub hoc prætextu etiam causæ civiles extra Imperium trahantur; unde nec absolutiones à juramento ad effectum agendi à Nunciis Apostolicis factæ in judicio attenduntur per d. §. add. Reink. de R. S. & E. L. III. clas. 1. c. 10. Apud Augustanæ Con-

feſſioni addictos verò aliter ſeſe res habet. Quia enim Jus Diœceſanum, & tota Jurisdictio eccleſiaſtica cum omnibus ſuis ſpeciebus contra Auguſtanæ Confeſſionis Electores, Principes, Status, comprehensâ liberâ Imperii Nobilitate, eorumque ſubditos tam Catholicos inter & Auguſtanæ Confeſſionis Status, quàm inter ipſos A. Conf. Status, usque ad compoſitionem Chriſtianam diſſidii religionis, ſuſpenſa eſt, & intra terminos Territorii cujusque Jus Diœceſanum & jurisdictio eccleſiaſtica ſe continet: Ideò habent Status A. Conf. addicti ſpeciales ſuas conſtitutiones eccleſiaſticas, Kirchen Ordnung/ quibus annexæ ſunt Ehe Ordnungen/ & ſeparata Judicia eccleſiaſtica, vulgò Conſiſtoria, Conſiſtorial- und Kirchen Gerichte/ vocantur, in quibus cauſæ & lites eccleſiaſticæ ſecundùm dictas conſtitutiones tractantur & deciduntur: Imo & illud obſervatum eſt, ubi, nullô conſtitutô Conſiſtoriô, omnes cauſæ indiſtinctè in Cancellariis expediuntur, tamen citationes & decreta ita ſtylizari, ut nomine Conſiſtorii emanare videantur D. Laur. Ohm de Jur. Epiſcop. Sect. 18. lit. A. Hinc ſponte ſequitur, quòd, quia Status A. Conf. in eccleſiaſticis nullum ſuperiorem recognoſcunt, ab eorum ſententiis in talibus cauſis latis nullam eſſe appellationem, niſi interdum per indirectum aut propter cauſarum continentiam id fiat vid. ſupra Sect. IV. Trib. Cam. th. 6.

TH. VII.

NIhil hactenus de Libera & Immediata Imperii Nobilitate dictum, nec etiamnum dicetur. Sed, ne id vel ex alta ignorantia juris, vel ex ſupina negligentia à me factum quis arbitretur, adeòque mihi objiciat illud, quod olim à R. Mutio in l. 2. §. 43. de Orig. Jur: Servio objectum legimus, qui ei, *turpe eſſe*, dixit, *Patricio, & Nobili, &*

cauſas

causas oranti, jus, in quo versaretur, ignorare i tria repono: Primum est, quòd in re propria & causa communi, licet non iniquum, suspectum tamen fiat judicium l un. C. ne quis in sua caus. jud. Secundum, quòd apud omnes, etiam adversarios, in confesso sit, quòd libera Imperii Nobilitas in substrata materia, competentiâ nimirum fori, cum reliquis Imperii Statibus iisdem juribus & privilegiis fruatur, adeòque particularem tractationem hæc res non requirat; Tertium denique, quòd, licet à multis Publicistis Immediatæ Imperii Nobilitatis prærogativa, jura & privilegia vel planè dissimulentur, vel tamen miserè torqueantur, vel ad minimum superficiariè tantùm tractentur, à paucis verò, quibus scilicet præ omnibus Amicis magis amica veritas, citra omnem respectum & affectum cordatè asserantur, ea tamen & ex ipsis Imperii Constitutionibus, ac Clementissimis Imperatorum Concessionibus æquis arbitratoribus satis innotescere queant, & ab Hippol. von Treysbach in seinem unvorgreifflichen Bedencken über etliche Fragen der freyen Reichs Ritterschafft in Francken/Schwaben und Rheinstrom Stand und Session betreffend/occasione quæstionis; An Nobiles Immediati Civitatibus Imperialibus præferendi sint? in compendio quasi exhibeantur, quò curiosum lectorem remitto.

TH. VIII.

SEd priusquam filum Dissertationis abrumpam, placet Coronidis quasi loco tres quæstiunculas, ad hanc materiam non incongruas, apponere, quas quidem ex Collegio primi mei in Jure Doctoris, adeòque semper venerandi, Viri Nobilissimi & Consultissimi, Domini Wolf. Gabriel. Pachelbl. à Behag / in Judicio Cæsareo-Provinciali Burggraviatus Norimbergensis Assessoris, & Consiliarii

Brandenburgici meritissimi mutuatus sum. Quæritur igitur, [1.] An processum Cameræ Imperialis reliqua Judicia sequi debeant? R. Quòd affirmativa in ipso Judicio Aulico obtineat, ex Instr. Pac. Art. V. §. quoad processum 54. & supra Sect. III. Trib. Ant. th. 5. satis patet. Cæteris verò Judiciis processum Cameralem præscribunt Recess. Dep. anno 1600. §. Dieweil aber 15. & Rec. Imp. anno 1654. Es sollen auch 137. Ubi hæ tantùm limitationes referuntur: [1.] nisi disertè aliud pro Camerali, & aliud pro inferioribus Judiciis ordinatum sit. Quemadmodum v. g. Revisionem aliam, particularem, uti vocatur, pro his in dict. R. D. anno 1600. §. Es soll aber 16. & R. I. 1654. §. Doch mit diesem Zusatz 113. & longè aliam, quæ Cameralis audit, pro illo in Ord. Cam. P. 2. tit. 35. P. 3. tit. 51. & 53. ac in d. R. I. ann. 1654. §. in Fällen 125. seqq. sancitam ac stabilitam legimus add. supra Sect. IV. Trib. Cam. th. 5. circa fin. & th. 9. [2.] nisi obstet impossibilitas. Ita v. g. soli Procuratores, qui in Camera haud alii, quàm Doctores aut Licentiati admittuntur, in inferioribus verò Judiciis pleriq; Doctorali eruditione, præditi esse nequeunt, sæpè impedimento sunt, ne in his quoad processum idem, quod in illa, exigi possit. [3] nisi apud inferiora Judicia alius processuum modus dudum introductus, & sine interruptione continuatus sit, ac iste non peccet in leges illas, quæ in dict. R. I. anno 1654. contra prolixitatem & diuturnitatem litium peculiariter sanctæ sunt. Quam ob rem in Judiciis etiam inferioribus libelli articulati, utpote litibus prorogandis, sicut d. R. I. §. diesem nechst 34. & §. zu Beförderung 64. demonstrat, nimium faventes, & ad eosdem responsiones (vid. Blum. Sent. Com. 618.) item peremtoriales, elisivi, aliique id generis articuli, exceptis solis probatorialibus d. R. I. §. dieweil aber 41. triplicæ,

plicæ,quadruplicæ,& ulteriora scripta, non amplius tolerari deberent. Quamquàm verò jam laudatam R. I. saluberrimam dispositionem,quæ lites mortaliores redderet,in multis ejusmodi Consiliis cum maximo litigantium damno nondum observari, conqueritur D. Blum. Proc. Cam. tit. 1. §. 19. & 20. tamen ipsa Camera talem observationem pro re nata injungit, vid. idem D. Blum. Sent. Cam. 983. ibi: sollen Richter in erster Instantz hinführo andern Partheyen in Sachen/ also confusè, weitläufftig und mit so vielen überflüssigen Schrifften zu verfahren nicht gestatten/sondern den Proceß/so viel möglich/abkürtzen/das Recht und Urtheil beschleunigen / und sich des H. Reichs Satzungen / Abschied und Ordnungen gemäß verhalten / add. D. Oldend. class. 7. act. 1. in fin. possuntque tales partes gravatæ, testante praxi Camerali, Mandata de legitimè secundùm jura & Constitutiones Imperii procedendo impetrare,etiamsi d. R. I. in illa provincia,ubi litigatur, non publicatus, & servare jussus sit. Non enim est hoc de necessitate,licet interdum, ubi sanctio nondum satis nota est, propterà tantùm,ut nota fiat, præcipiatur. Cæterùm ex ipsa statim publicatione in Comitiis vim legis atque juris communis accipit vid. R. I. anno 1521. posterior §. item als 17. seq. D. Mev. P. 4. d. 77. [II.] An sententias Cameræ Imperialis reliqua Judicia in judicando sequi debeant? ℞. Affi. additis tamen his limitationibus: nisi [1.] alia expressa lex, [2.] ipsæ Camerales sententiæ contrariæ, ac [3.] urgentissimæ aliter judicandi causæ, adsint vid. R. I. anno 1570. §. alsdann auch 78. l. 37. & 38. ff. de LL. §. ult. J. de satisd. D. Mev. P. 5. d. 282. P. 6. d. 354 Ziegl. Dicast. concl. 36. §. 24. Denique [III.] An Judicia sequi debeant suas sententias, quas olim in iisdem, vel certè omnimodò similibus causis tulerunt? ℞.

Affir.

Affir. per l. 37. & 38 ff. de LL. R. I. anno 1654. §. ſo viel aber
136. dummodò inter rem olim judicatam, & nunc judicandam non modò adſit qualis qualis ſimilitudo, ſed omnimoda identitas, & prior ſententia juſta fuerit vid. l. 39. ff. de LL. Carpz. P. 1. c. 26. def. 16. D. Mev. P. 6. dec. 262. P. 3. dec. 308. D. Berlich. dec. 87.

Hæc ſunt, B. L. quæ à tantulo ingenio expectari poterant, utique non docendi, ſed diſcendi duntaxat & memet ipſum exercendi gratiâ conſcripta. Atque ita ſit finis hujus operis, ſicut omnium noſtrarum actionum, illud ſolenne:

Soli DEO Gloria.

FLos noſtri in paucis, HESSBERG Generoſe, Lycéi,
Docti dulcis amor deliciumque chori,
Doctrinæ inſolitum ſpecimen ſolemniter edens,
Optas pro merito carmen habere meum.
Atteſtor *ſtudia & virtutem*, lege ſeverâ,
Dum *Marburgi* eſſes, culta fuiſſe ſeverâ,
Ut *ſtudii* tuus ardor, tumque *ſcientia* creſcit,
Creſcit ut & *virtus*, ſic quoque creſcat *honor*!

Ἀυτοσχεδιασὶ lubens meritóque applaudebat

HENRICUS DUYSING,
p. t. Univerſitatis RECTOR.

HESS-

HESSBERGI Generose, decus quod nostra reportat
Dum Te præsentem videt hæc Academia, laudans
Ingenium, mores, studium, specimenque laborum
Non unum, toties iteratum, tale videtur
Ut magis illa Tibi devincta exinde, nec ulli
Desit jam laudi, quâ gloria crescat eundo.
Quin ego, qui testis, quàm stet mens alta, recessus
Quàm Legum pateant Tibi, toto pectore grator
Et precor, ut meritis suprema ad culmina scandas,
Quò Tua Te virtus vocat & tot vota bonorum.

Hisce Generoso D. DE HESSBERG, *Nobilitatis decori eximio, genere non magis quàm eruditione aliisq; dotibus excellenti & denuo in publicum prodeunti sterili licet verâ, successum tamen ex voto animitùs apprecatur*

SAMUEL ANDREÆ,
S. Th. D. & Prof.

Genere genio ingenio
virtute pariter ac literis
Nobilissimus Juvenis ac Dominus
D. HECTOR SIGISMUNDUS ab HESSBERG
Eques Franconiæ
Recondita Divæ Themidis mysteria
de summis Imperii Romani Tribunalibus
Publica disputatione
propositurus, ac
Non Præsidis auxiliô, sed singularis eruditionis
promptitudinis ac eloquentiæ Præsidiô
sine præside disputaturus

Raro inter nobiles exemplo
ſic didiciſſe ſe probat , ut alios doceri poſſit ,
Et Lauream mereri potius habet, quam
captare.
Recta ſecum reputavit via,
Nobilitatem eam eſſe veram & ſummam
imo unicam,
Quæ mentis ,
quâ homines ſummus & a brutis diſtinguimur
non corporis.
Neque minorem eſſe virtutem
Veritatis propugnare corollaria
quam
pro potentum decertare coronis.
Summam hanc laudem reputans
equeſtri calcari volucri
plumbeas alligare nates.
Macte hoc animo!
Famoſas ſic majorum imagines
novis ac clarioribus
effulgeſcere videbis radiis.
Tandem
Ex utroque
arte ac marte
armis ac legibus
Illuſtris futurus atque inclytus.
Quæ ut brevi, ac pro meritis copiosè
contingant
in Dei ac Principis gloriam
communis patriæ utilitatem
civium proſperitatem
Familiæ decus ac ornamentum

nutrit

nutritiæ Marburgensis famam
ac nostro quoque gaudio
ominatur ac vovet
PHILIP. JOH. TILEMAN d. SCHENK
Th. Dr. Serenissimi Hassiæ Principis Pastor
Professor & Consiliarius ecclesiasticus.

NOn satis esse probas GENEROSÔ stemmate nasci,
Hesbergi, nostræ pars GENEROSA scholæ:
Ne tibi fata darent studiis virtutis & artis
Ulteriùs Gentem condecorare tuam.
Splendidus est equidem præluftris sanguis Avorum,
Quæ tamen ipse patras, plus ea lucis habent.
Fortior insurgens Themidos mysteria sacra
Quæris, se facilem præbuit alma Themis.
Præfecitque sacris Legum, quo cernere justum
Injustumque queas, præbuit alma Themis.
Hinc permagna foret nostris injuria Musis,
Si Tibi Pindaricum non modulentur epos.
Terque quaterque ergò meritò Te canto beatum,
Cûi se tam facilem præbuit alma Themis.
Hocce precor superest, Romanam in parte regendam
Rem Tibi sat laceram præbeat alma Themis.

GENEROSI DN. AUTORIS *rari exempli virtutibus cum omnigena felicitatis voto hisce applaudit*

NICOLAUS Prick / U. J. D.
Consiliar. Hassiac. & Jur. Canon Profess.

TE Genus, HESSBERGI, Te dotes corporis ornant,
Sed magis æthero quæ fluit aura polo.
I, quò Te studium, quò virtus inclyta ducit;
Gloria conatus hos manet atque decus.

Cum voto perpetuæ prosperitatis ita applaudebat

J. GOEDDEUS,
U. J. D. & Prof.

Ad GENEROS. Dn. à HESSBERG.,
Nobilem verè nobilem, verè Gererosum
Et
Non Majorum modò sed & suis virtutibus & rarissimâ eruditione inclytum:
de *Summis Decasteriis* sine præside, non sine summo applausu Disputantem.

INgenium, Genius, Gens, Judiciumque, Statura,
Doctrina & Virtus; omnia magna TIBI!
Ni frustrà augurium vani docuére parentes
Ipse *Dicasteri* Tu mihi PRÆSES eris.
Grator fortunam, quæ sic præludit honori
Summo; cresce magis, *Dulcis Amice!* Vale.

Cum voto scripsit

O. P. ZAUNSCHLIFFER,
Antecessor & Syndicus Univers. Marburg.

Ad

Ad Generosum Dominum AUCTOREM, *sine Præside publicè Disputantem, Dicastichon.*

NOn satis ergò Tibi, Generoso sanguine niti,
HESSBERGI, antiquæ Nobilitatis Eques?
Non Tu, majorum contentus es ergo trophæis,
Quæve sago fortes vel statuére togâ?
Non Tibi munificæ satis est clementia fortis,
Muneribusque frui stantis in orbe Deæ?
Non satis alipedes in gyrum agitare caballos,
Inque feras acres mittere voce canes?
Quòd sic ad summum Parnassi enitere culmen,
Nec de imâ cuiquam cedere plebe soles.
Scilicet est aliquid Generosæ stirpis origo:
Nec procul à matris stipite poma cadunt.
Hoc Tua nos virtus, hoc nos docet ardor honesti
Nobilis, & pulchræ cognitionis amor.
Quis non eloquium, non est miratus acumen
Hîcce Tuum, vitreas fert ubi Lanus aquas?
Nempe velut meritis superat Domus Inclyta vulgus,
Sic æquas Proavos Tu superásve Tuos.
Perge bonis avibus Generosum, extendere famâ
Nomen, in Eoas *Hesperiasq́;* plagas.

Sic gloriosis conatibus applaudere voluit debuit.

J. JACOB Waldschmiedt/
Archiater, Medicinæ Professor Primarius & Physices Ordinarius.

Oſtendit ſatis hoc ſeries immenſa laborum,
Quas ægrè nunquam ſuſtinuiſſe ſoles.
Non Tibi nobilitas HESSBERG Clariſſime ſtirpis,
Quæ careat mentis Nobilitate, placet;
Turpe putas homini generoſo ſtemmate nato,
In queis verſatur, nî ſacra jura ſciat.
Reque probas ipsâ, Imperii dum jura ſacrata
De Cathedrâ tractans verba diſerta facis.
Nunc igitur Themis alma, veni laurumque virentem
Necte SIGISMUNDO, qui tibi thura litat.
Qui tibi thura litat, nunc HECTORI munera præbe;
Munera quæ dignus non peritura feret.
Gratulor ecce! Tibi, quod Te veſtigia Phœbi
Non piguit duro tempore docta ſequi.
Gratulor ex animo, Generoſæ ſtirpis Alumne,
Et precor in laudem vergat, ut omne DEI.

Epiſtolam, quæ ſequitur, à Patrono multis nominibus mihi colendo, ſerò licet, ſcriptam, quippe is Reipublicæ causâ aberat, ſatius tamen duxi, quod Pace ſuâ fiat, hîc, locô quamvis incongruô, ſubjicere, quàm ſine ea Diſputationem in lucem mittere.

GENEROSO & Nobiliſſimo VIRO,
HECTORI SIGISMUNDO ab Heſſberg/
Equiti Francico,
JOHANNES TESMARUS, JCtus, Primarius L.L. Doctor & Facultatis Jurid. Decanus
S. P. D.

DUm mirabili hoc ſeculo, quô Tygris & Euphrates, Iſther & Rhenus ad arma vocat,

cat, vacuasque fere facit ſcholas & Academias Illuſtribus, Generoſisque juvenibus, Tu ſolus fere, ſane inter pauciſſimos es, qui fortiſſimi militis inſtar, commiſſam Tibi ſtationem non deſeris, tantique habes blandimenta Martis, bracteataque ejus bona, ut ſatius eſſe putes, excolere animum ſapientiâ, & diſcere potius, quomodo regas, quomodo conſerves civitates, quàm quomodo per glorioſum ſcelus eas deſtruas. Quare ſic Tecum exiſtimo, Generoſiſſime Vir, laudabile & honeſtum quidem eſſe, præter Themidis, alia quoque experiri caſtra, & relictis aliquando mitioribus illis ſtudiis, ad ea ſe conferre, præcepta, quæ in famem, in frigus, in tolerantiam omnium fere malorum, non in Schola, ſed in campis traduntur; at faciendum illud aptè & decorè, per honeſtam miſſionem, ante omnia ut transfugæ infame nomen evites. Hæc ſine dubio ratio eſt, quare tum in aliis, tum in hac noſtra Academia, jam ultra triennium hæſeris, & quidem eâ ſedulitate, eâque morum elegantiâ, ut rectioris indolis juvenes, Commilitones Tuos in imitationem,

tionem, Doctores in admirationem, omnes verò summos, infimos in desiderium, amoremque Tui traxeris. Vererer incurrere notam adulationis, rem longè turpissimam, nisi illa, quæ scribo, nota omnibus essent, nisi ipse hic præsens loqueretur actus: enim verò non contentus in omnium disciplinarum, facultatumque, auditoriis egregia magnæ eruditionis edidisse specimina; illa quoque subire voluisti, quæ subeunda sunt illis, qui honores in utroque jure desiderant; adeóque tentamen, ut vocant, Facultatis nostræ laudabiliter sustinuisti, conscripsisti disputationem, qualem à Tua ætate sperare vix licebat; Conscendisti Cathedram, &, quâ ingenii fiducia es, salus, remotôque Præside, eam defendisti materiam, quæ fortissimos quoque terrere solet; quin horis insuper pomeridianis totius Senatus, omniumque Academiæ Procerum censuræ denuò Te, Studiaque Tua subjecisti; adeòque nihil, quod ad Victoriam, Triumphumque pertineret, omisisti, præter pompam & titulos, quibus insigniri hostium domitores solent. Nova equidem & insolita plane res! Quippe reperiris hodie, qui non prece, non pretio, sed Herculis ritu, id est, pulvere & sudore Tibi acquisivisti lauream, sed qui ornari eâ non vis. Conspiceris, cui sola, nuda, præmiisq; destituta placet virtus; cui, contra naturæ ordinem, plus surgit gaudii & voluptatis ex periculis & labo-

re, quàm ex remuneratione & commodo. Vera equidem laus, nolle laudari; incorrupta gloria, eam dispicere. Ibis ergo in seculum, dicerisque, Te illum esse, quem amore scientiæ exulem factum, aluit quidem, excoluítque Marburgum nostrum, ac quem merentem coronari, non coronavit; Quem nobilitas quidem parentum, Majorúmque cohonestaverat, at indefessa sedulitas & nunquam interquiescens industria ultra vetus stemma & cognatam provexerat nobilitatem; cui generosus sanguis nullam præter virtutis & sapientiæ inspiraverat ambitionem; In Summa, qui literas, studiáque non ut beatiores illi, sed ejusmodi, quibus tota sors, unicáq; emergendi felicitas in curis, vigiliísque posita est, tractare solebat. Vale. Dabam Marburgi ex Museo XVII. Maj. Anno MDCLXXXVII.